[redacted]

DE

PRONOMINUM APUD TERENTIUM

COLLOCATIONE

CAPITA QUATTUOR.

SCRIPSIT

CAROLUS REIN

DR. PHIL.

LIPSIAE

APUD THEODORUM STAUFFERUM

MDCCCLXXIX.

Comicis poetis Romanorum quicunque viri docti operam navarunt hos iam permultis abhinc annis illud vidisse ex ipsorum commentariis intellegimus neque Plautum neque Terentium singula verba sicut se obtulerunt modo sic modo sic collocavisse sed eadem verba, si saepius repetuntur, plerumque vel semper eodem ordine recurrere solere. Neque mirum videbitur ipsum Bentleium quoque in notissima quam instituit editione Terentii hic illic rationem habuisse verborum collocationis. Sed hoc ut statim asseverem, cavendum est, ne multa ab illis prioribus in his studiis iam ad certum finem perducta censeas, id quod eo libentius mihi concedes, si mecum — ut eodem Bentleio utar exemplo — pauca quaedam ex eis perlustraveris, quae mihi eius commentarium percurrenti obviam fiebant: Ad Eunuchi v. 193 (I, 2, 113) haec adnotat: „**Dies noctesque.** *Mutato ordine numeri meliores fiunt* **Noctes diesque.** *Atque hoc frequentius* v. V, 8, 49 et Andr. IV, 1, 52.“ Neuter autem locus satis quadrat, nam ibi legitur **noctis et dies**; recentiorum igitur nemo lectione quae traditur contempta Bentleium secutus est. Accedit quod vir ille summus saepe [1]) sat habuit observata brevissime ponere magis quam exemplorum multitudine firmare. Quo factum est ut huius demum saeculi viri docti, postquam magis magisque ad verborum ordinem animos intenderunt, certas quasdam normas hac in re a poetis comicis observari sibi persuaderent neque pauci loci inde a Ritschelio, sospitatore illo Plauti, huiusmodi observationibus

1) e. g. cf. adnott. ad Hec. II, 1, 33 (230) et II, 2, 19 (261).

in integrum restituerentur. Atque nostra quidem aetate duo inprimis vv. dd. nominandi sunt, quos optime sane hac de re meritos esse nemo negabit, O. Seyffertum dico et J. Brixium. Quorum priorem praesertim in „*Studiis Plautinis*“ [2]) collocationem complurium verborum accuratissime tractavisse videmus, Brixius autem in editionibus quas instituit quattuor fabularum Plautinarum optimo iure saepius [3]) monuit atque similibus locis collatis ostendit, quanti sit momenti vocabulorum ordo. Hac igitur ductus ratione Seyffertus [4]) primus quantum scio paulo uberius exemplis ex Plauto et Terentio collectis docuit apud comicos poetas nominativos *egomet*, *tute*, *nosmet*, *vosmet*, quotiens in eodem enuntiato coniunguntur cum aliquo casu obliquo pronominum personalium vel possessivorum eiusdem personae, praeire solere his pronominum casibus. Hanc quam monstravit Seyffertus viam nuper denuo ingressus est Mahlerus [5]), qui quo modo Plautus in eodem enuntiato pronomina personalia disponere soleat magna cum industria explicavit. Atque mihi quoque perlustratis, ut altius cognoscerem collocationem verborum, Terentii fabulis certior in dies fiebat sententia etiam Terentium in ordinandis pronominibus tam personalibus quam reliquis easdem vel similes secutum esse leges atque Plautum. Sed tamen hoc statim contra Mahleri sententiam praemonebo normas illas, secundum quas etiam ceteros praeter accusativum casus obliquos inter se coniungi sibi finxit [6]), Terentianis quidem exemplis meo iudicio non firmari, id quod paulo infra (p. 27 sqq.) ex ipsis locis allatis satis elucebit.

Totam igitur materiem, quam pertractare mihi proposui quattuor capitibus sic distribuam ut agatur

---

2) progr. Berol. a. 1874; cf. pp. 4 sqq. 9. 18. 21. 24 sqq.

3) e. g. cf. adnott. ad Trin. vv. 3. 29. 634.

4) in philologi vol. XXV, p. 459 sqq.

5) in diss. inaug. Gryphisw. „*De pronominum personalium apud Plautum collocatione*“ Cussalini 1876.

6) l. l. pp. 38—42.

in capite primo **de pronominibus personalibus structura coniunctis,**

in capite secundo **de eis enuntiatis, ubi eiusdem pronominis — praeter pronomina personalia — exstant duo casus,**

in capite tertio **de pronominibus personalibus coniunctis cum pronominibus possessivis,**

in capite quarto **de reliquorum quibusdam pronominum, si quidem ad alia pronomina eodem casu adiecta inveniuntur.**

Caput I.

Iam Mahlerus (l. l. pp. 3—8) innumeris paene exemplis demonstravit Plautum solere **nominativum ponere ante casum obliquum sive nudum sive cum praepositione coniunctum,** atque re vera nominativum pronominum personalium ceteris eorundem pronominum casibus anteire idque nullo vocabulo interposito quantopere hoc proprium sit sermonis cotidiani, non solum multitudine locorum e Terentio ceterisque poetis comicis petitorum luce clarius apparebit, verum etiam intellegere poteris, si Petronii satirarum reliquias vel Ciceronis epistularum unam alteramve inspexeris. Quamvis igitur consentaneum sit quod et Plauti et Ciceronis auctoritate firmatur ne a Terentio quidem, qui media inter utrumque aetate vixerit, aliter institutum esse, tamen, ne quid ad plenam rem demonstrandam desideretur, his praemonitis iam meum erit enumerare exempla illa Terentiana, in quibus haec lex servatur, neque metuendum mihi videtur, ne me trita terere mihi obiciatur, quoniam Mahlerus eidem rei in Plautinis fabulis operam dederit.

Loci igitur sunt hice:

Andr. 35[1]) 82 200 205 226 271 289 (coll. v. 834 h. f.

1) numeris utor Umpfenbachianis.

sic scribendum esse censeo: „*Quod pér* **ego te** *dextram hánc oro et geniúm tuom.*“[2]) 336 361[3]) 375 504 508 533 536 (*Auscúlta paucis: quíd* **ego te** *velim ét tu quod quaerís scies*)[4]) 582 591 636 675 685 703 734 sq. 747 768 834 864 866 896 927 944 962. **Eun.** 64 94 153 181 230 (**ego me**)[5]) 239 249 252 277 281 319 338 379 434 506 532 534 562 565 (*quid* **ego** *eius* **tibi**)[6]) 604 sq. 629 691 703 712 717 735[7]) 758 762 764 771 798 803[8]) 808 816 819 844[9]) 885 886 903 930 941 989 1062 (*Cur érgo* **ego** *in his* **te** *cónspicor?*)[10]) 1069. **Haut.** 106 200 257 257 sq. 315 371 385 398 507 556 563 579 585 589[11]) 632 sq. 833 874 919 975 1007 1024 1030[12]) 1032 1060. **Phorm.** 52 127

---

2) cf. Spengelii (in edit. Andriae Berol. 1875) adnotationem ad h. v.; O. Brugmannus in recensione huius editionis (in Fleckeis. annal. a. 1876 vol. CXIII, p. 420 sq.) hunc suadet versum: „*Quod hánc per* **ego te** *déxtram oro et geniúm tuom.*“

3) **Ego me** (v. supra v. 226) edd. cum ll.; Don. in lemm. et Priscianus I. p. 244 H. „*Egomet.*“

4) sic optimo iure (cf. Eun. 338 et Haut. 106) Spengelius; „*paucis et quid* **ego te** *velim*“ ll. et Don.; pronominum mutato ordine Fleckeis. et Umpf. Bentleium secuti exhibent „*et quid* **te ego** *velim.*“

5) Bembini „*egomet*“ Umpf. solus amplexus est.

6) sic recte Fl. et U. cum ADG; rell. codd. et Don. omm. „*ego.*“

7) „**tu** *ut sequerere* **sese**“ edd. cum A; rell. ll. et Don. in lemm. „*tum ut sequerere sese.*“

8) „**ego tibi**“ Fl. et U. cum A (cf. Ad. 571 et 782); „*ego-tuum*“ libri, qui ex Calliopii recensione manaverunt.

9) „**ego me**“ edd. inde a Bentleio; „*egomet*“ libri.

10) sic ad Bembini vestigia (CURERGOIN^{te}KISEGO: „*te*“ add. corr. rec.) legendum censeo; nam non mihi videtur veri similius cum U. et priorr. edd. scribere „*cur* **te** *érgo in his* **ego** *cónspicor*“ aut cum Fl. nominativo „*ego*,“ qui sane omnibus traditur libris, omisso: „*cur érgo in his te cónspicor.*“

11) hic et sequens versus ubi inter se secernendi sint v. ap. Conradtium in libello „Die metrische Composition der Comoedien des Terenz“ Berlin 1876, p. 104 sqq.

12) „*tu*“ add. ante verba „*ex me*“ Fl.; omm. libri.

173 189 217 (*Mane ínquam* ‖ **Egomet me** *nóvi*)[13] 383 426[14]) 471 490 520 581 615 714 747 824 837 844 849 900 914 935 938 948 966 974 1050. **Hec.** 110 153 218 230 247 415 470 524 586[15]) 603[16]) 610 (bis) 635 664 sq. 712 763 849 852 862. **Ad.** 47 104 sq. 111 162 185 192 208 (*Séd nemo dabít: frustra* **egomet mécum** *has rationés puto*)[17]) 256 271 284 (*Non fíet, bono animo és:* **tu** *cum illa* **te** *íntus oblecta ínterim*)[18]) 286 348 398 527 (*Rogitábit me, ubi fúerim,* **ego** *hoc* **te** *tóto non vidí die*)[19]) 539 551 568 587 589 646 689 697 (bis)[20]) 724 753 879[21]) 962.

---

13) hoc apud plerosque ad Bembini auctoritatem legitur; Fl. solus cum ll. BC²DEFG et cum Don. imperativo iterato sic scribit „*Mané mane ĭnquam* ‖ **Ego me** *nóvi:*" „**Ego me**" auctore Bothio, „**Egomet me**" codd. Cf. ad h. v. Muellerum Plaut. Pros. p. 199 et Conr l. l. p. 119, quorum utrique Fleckeiseni scriptura minus recta videtur, atque exempla, ubi voces anapaesticae (**Ĕgŏmēt me**) in secundo versus pede ponuntur, v. ap. Brixium in adnot. ad Trin. 397.

14) „**Tu te**" separavit Bothius; „*tute*" ll. et Don.

15) cur hic versus et Ad. v. 879 fortasse melius omittantur v. infra.

16) cum Brixio (in nota ad Trin. 237) „**tu te**"; librorum et Donati „*tute*" ceteri edd. exhibent.

17) hanc Bembini (et Donati) lectionem iniuria mutasse Bentleium docet Ritschelius in proll. ad Trin. p. CXIX in adnotat.

18) sic edd. cum plerisque ll. et Don.; Bemb. solus praebet hunc verborum ordinem „*intus te oblecta*"; itaque hanc proposuerim scripturam „— *animo és:* **tu** *cum illa intús* **tete** *oblecta ínterim*", nam semper fere Terentius accusativum pronominis reflexivi nulla alia voce interposita coniungit cum verbo: cf. ex hac fabula vv. 46 49 286 322 519 575 614 623 632 692 756 763 838 842 886.

19) sic rectissime scripserunt Fl. et U. cum Kraussio (in Mus. Rhen. vol. VIII, p. 559); libri: „*quem ego hodie toto,*" nisi quod A om. „*quem*".

20) hoc in versu cum Klettio (in Mus. Rhen. vol. XIV p. 466) facio, qui Bembini lectionem amplectitur: „*'Obsecro, nunc lúdis* **tu me.** — ‖ '**Ego te?** *quam ob rem?* ‖ *Néscio*"; signum interrogationis, quod edd. et Klettius l. l. post voces „**tu me**" ponunt, melius omitti puto. Sed si quis hiatum nullo modo admitti posse arbitratur, haud scio an sic proxime ad ea, quae in optimo codice leguntur, accedamus: „*'Obsecro nunc lúdis* **tute me** ‖ '**Ego te?** *quam ob rem?* ‖ *Néscio.*"

21) cf. quae modo adnotavimus ad Hec. v. 586.

Hac ex tanta exemplorum multitudine si iam certe cognoscitur nominativi pronominis personalis collocationem apud Terentium eandem esse atque apud Plautum, nemo mirabitur eundem Terentium hic illic sermoni familiari tantum tribuere, ut casum obliquum, si quidem graviore accentu logica effertur, praemittat nominativo. Quam ob rem hice sane loci vix habebunt, cur quis offendat:

1) Andr. 618 (III, 5, 12):

Nempe út modo ‖ *Immo mélius spero* ‖ *Oh*, **tíbi ego** *ut credam*,[22]) *fúrcifer?*

Huic loco non alienum erit unum[23]) illud exemplum addere ex comicorum reliquiis, quod legi nostrae obstat. Invenitur in Ciceronis libello „de oratore" II, 59, 242 (Ribb.[2] Com. p. 112 ex inc. inc. 1):

Tibi ego, *'Antipho, has sero ínquit: seniumst cum aúdio.*

Sicut in Andriae loco etiam hic inversio pronominum addito vocativo excusatur.[24]) Contra plus viginti locis ex reliquiis comicorum petitis rectissime nominativus praecedit ceteris casibus.

2) Eun. 496 (III, 2, 43):

Quid **tíbi ego** *multa dícam?*

3) ib. 822 (V, 1, 6):

Quid **tíbi ego** *dicam mísera?*

4) Haut. 915 (V, 1, 42):

míhi *nunc* **ego**[25]) *suscénseo.*

5) ib. 920 (V, 1, 47):

Non **tíbi ego** *exempli sátis sum?*

„*ego*" omm. A G; **„ego tibi"** Eugraph. in lemm.

---

22) cf. Plauti Pseud. 318 R. (I, 3, 84): **Tíbi ego** *credam?*

23) alterum exemplum, cui tamen non nimium tribuam, fortasse non prorsus omittendum est. In Titinii enim vv. 81/82 (Ribb.[2] Com. p. 145) Buechelerus nuper verba corruptissima sic sanare studuit „**Tibin égo** *medelam quám sciam non délicem?*"; alios viros plane alias his versibus adhibuisse medelas vides ap. Ribb. l. l.

24) cf. Mahlerum l. l. p. 54 sqq.

25) sic recte omnes edd. cum plurimis codd., inter quos Bembinus; „*nunc* **ego mihi**" DG.

Omnibus his in exemplis in praecedentem dativum etiam ictus versus cadit, id quod non est hisce tribus locis:

Andr. 762 (IV, 4, 23):

Tibi égo *dico an non?*

Sic plerique edd. cum ll.; Bentl. cum edd. vett. „**Tibi** *díco* **ego** *an non?*" atque eum secutus est U.; fortasse etiam, si ex U. silentio hoc concludi licet, D et G exhibent „**Tibi** *díco* **ego** *an non?*"

Attamen altera illa collocatio „**Tibi égo** *dico an non?*" magis placet neque mirum videtur, quod non dativus, quamquam ob logicas rationes anteit, sed postpositus nominativus ictu versus premitur, nam hoc idem cadit in secundum locum, qui huc referendus est

Haut. 610 (III, 3, 49)

Pró Menedemo núnc **tibi ego** *respóndeo.* [26])

Phorm. 532 (III, 2, 47):

Míles dare se dixit, si **mihi** *príor* **tu** *attuleris, Phaédria.*

Hic versus sic et in libris traditur et legitur in editionibus neque equidem negaverim dativum „*mihi*" logico accentu quodammodo efferri. Quamquam addito vocativo „*Phaedria*" multo fit probabilius pronomen secundae personae priore poni loco [24]). Itaque quoniam ut hic locus legi nostrae satisfaciat, duplici ratione facillime efficere possumus, non nimia videbor uti audacia, si suadeo aut lenissima verborum transpositione:

— *si prior* **tú mihi** *attuleris, Phaédria.*

aut omisso vel nominativo vel dativo:

— *si mihi príor attuleris, Phaédria.*

et

— *si tu príor attuleris, Phaédria.*

Harum trium formarum media meo iudicio maxime digna est, quam recipiamus: verborum enim mutatione contra libros scriptos omnino non opus est neque minus for-

---

26) sic optimo iure edd. cum A; „**ego** *nunc* **tibi**" BCF; „*nunc tibi*" (om. „*ego*") E; „**ego tibi** ///" P; „*nunc* **ego tibi**" DG.

tasse sic commendatur, ut nominativum „*tu*“ initio in margine adscriptum, ut quis ille „*prior*“ esset indicaretur, postea in contextum verborum irrepsisse statuamus.

Huc accedunt duo loci, ubi pronominum inversio ob eam causam nihil praebet offensionis, quod binorum pronominum singula cum diversis coniungenda sunt verbis:

1) Andr. 510 (III, 2, 30):

Prórsus **a me** *opínionem hanc tuam ésse* **ego** *amotám volo.*

2) Hec. 786 (V, 2, 20):

Quaeso édepol, Bacchis, quód **mihi** *es pollícitus* **tute** *ut sérves.*

Iam de paucis versibus disseram, ubi binorum pronominum, etsi libris tradantur, alterum minus caute omittitur a plerisque editoribus; nam Terentium alterum pronomen tum quoque, cum poni opus non est, posuisse potius quam omisisse ex ipsis supra enumeratis exemplis intellegitur.

Sed versus ipsos videamus:

Andr. 509 (III, 2, 29):

Ne tu hóc, posterius dícas Davi fáctum consílio aút dolis.

Sic inde a Bentleio edd. praebent versum, in ll. autem haec exstant: „*Ne* **tu** *hoc* **mi** *e. q. s.*“ BCEP, „*Ne* **tu mihi** *hoc e. q. s*“ DG.

Itaque quod versus libris traditus uno pede longior erat iusto et pronomen „*mihi*“ utpote incerti laris, ut Bentlei utar verbis, ansam tollendi praebuit, illum quem supra posui restituit octonarium iambicum. Sed nuper Conradtius [27]) recte monuit nullam inveniri posse causam, cur Terentius in sequente versu, quippe qui proxime cohaereat cum antecedentibus, metrum mutaverit, neque dubito ei assentiri suadenti septenarios illos trochaicos, quos habes usque ad versum 523 h. f., iam inde a versu 507 esse dimetiendos; genuinam igitur huius versus formam hanc fuisse censet:

Né **tu mi** *hoc postérius: Davi fáctum consílio aút dolis*

probo enim quod v. d. ll. DG auctoritatem praetulit ll. BCEP.

---

27) l. l. p. 76 sq.

Phorm. 496 (III, 2, 11):

Tú cognatus, tú parens, tu amícus, tu. || *Garrí modo.*

Hanc quoque versus speciem idem Bentleius invitis libris [28]) suasit hisce verbis: „Ex trochaicis (qui antecedunt), nulla rerum mutatione hic fit iambicus „**Tu míhi** *cognatus*"; tolle „*mihi*" et rescribe „*Tú cognatus e. q. s.*", atque ad unum omnes editores eum secuti sunt. Sed hunc quoque versum ad codd. scripturas sic restituendum esse mihi persuasit Conradtius [29])

Tu míhi *cognatus, tú parens, tu amícus, tu..* || *Garrí modo.*

De tertio, qui huc pertinet, loco (Ad. 957=V, 8, 34) satis videtur Conradtium laudasse, qui in libello [30]) suo summa diligentia quomodo extremi huius Adelphorum scaenae versus distinguendi sint exposuit, atque probabiliora quoniam indagare non potui, acquiesco in Conradtii sententia, qui scaenam illam hisce octonariis iambicis terminari vult:

Effúgere dictumst vére et re ipsa fíeri oportet. || *Mí pater*
Quid ístic? dabitur quándoquidem hic volt || *Gaúdeo:*
nunc **tú** [31]) **mihi**
Germánu's pariter ánimo et corpore [32])
Suó sibi gladio hunc iúgulo

Ad. 813 sq. (V, 3, 27 sq.):

fac quam plúrimum
Illís relinquas: glóriam tu istam óbtine.

Haec verba Fleckeis. et Umpf. praebent auctore Bembino codice; in plerisque autem libris [33]) additur pronomen „*tibi*", ita ut versus uno pede longior efficiatur. Iam Bent-

---

28) TUMIKICOGNATUS: A cum rell.; „*tu mihi parens*" BCEFP. „*tu*" post „*amicus*" omm. C¹ G; utrumque pronomen etiam Don. et Eugraph. in lemm. praebent.

29) l. l. p. 139.

30) p. 69 sqq.

31) hunc nominativum, quem optime tuentur ll., non recte omm. Fl. et U.

32) hoc in versu cur lacunam statuat, satis docte demonstrat Conr. l. l

33) „*istam* *tibi* *obtine*" D corr. D²; „*tu istanc tibi optine*" BCEF.

leius offendens in imperativo „*obtine*", utpote qui paulo ante in versu 812 legatur idque etiam in versus fine, collato Hecyrae versu 461 (III, 5, 11) sic nostrum locum reposuit:

fac quam plúrimum
Illís relinquas glóriamque istánc tibi. [34])

Sed etsi viro summo vocem „*obtine*" additiciam esse facile concedam, non intellego, cur multo leniore medela se abstinuerit neque id ipsum, quod falso affert Umpf., scripserit:

fac quam plúrimum
Illís relinquas, glóriam **tu** *istám* (v. *istánc*) **tibi.**

Nam neque asyndeton praebet cur haereamus neque illud quod nominativus posteriori potius quam priori membro inseritur. Quin etiam id velim observes, quam bene dativi „*Illis*" et „*mihi*" in initio et in fine versus inter se respondeant.

Restat ut nonnullos in iudicium vocemus locos, ubi unus alterve hominum doctorum sive usus codicum auctoritate sive destitutus pronominum ordinem legi nostrae obstantem protulit:

Haut. 678 (IV, 2, 11):

Retraham hércle, idem **ad me ego** *íllud hodie fugitivum argentum támen.*

Quem octonarium iambicum ut Umpf. ad Bembini [35]) vestigia restituere posset, vocem „*opinor*" post „*hercle*", quam una cum Bembino etiam rell. ll. tuentur, eiecit, id quod haud scio an iniuria fecerit: nam „*opinor*" illud, quod iam in versu antecedente legitur tantopere congruit cum animo incerto, quo est Syrus tota hac scaena, ut e poetae verbis removeri nullo pacto velim. Hoc idem vide ne reliquos commoverit editores, ut potius adverbium „*hodie*," quod non habes nisi in A, additamentum arbitrati versum ad scripturam codicum ex Calliopii recensione ductorum sic formaverint:

---

34) U. minus diligenter in app. crit. adnotat Bentleium sic scripsisse: „*tu istanc tibi* (om. „*obtine*")".

35) RETRAKAMKERCLEOPINORIDEMADMEEGOILLUDKODIEF UGITIU(OM): ibi versus fractus est in A.

Retraham hércle opinor ád me idem illud fúgitivum argentúm tamen.[36])

Atque his viris doctis ut assentiar, eo praeterea adducor, quod pronomen „*idem*", si coniungitur cum alio pronomine demonstrativo, huic nulla alia vocula interposita praemitti solet.[37])

Andr. 978 (V, 6, 14):

Séquere hac **me** *intus ád Glycerium núnc* **tu.** *tu, Dave, ábi domum.*

Sic legit Fleckeis. addito altero nominativo „*tu*" proxime accedens ad ea, quae in Bembino a prima manu traduntur: AGLYCERIUMNUNCTUDAUE.

Haud ita diversa sunt quae secundum rell. ll. exstant aqud Umpf.:

Séquere hac me intus: ápud Glycerium núnc est. tu, Dave, ábi domum.

Sed in utriusque editoris lectionem optimo, ut mihi quidem videtur, iure duo profert Spengelius[38]), quae obstent: horum alterum quidem i. e. adverbium „*intus*" nusquam inveniri coniunctum cum verbis movendi iam Bentleius perspexisse videtur, namque sic versus verba interpungendo separata in eius editione exstant:

Séquere hac me. intus ápud Glycerium núnc est. tu, Dave, ábi domum.[39])

Neque minus alterum i. e. nominis proprii „*Glycerium*" syllabam antepaenultimam nullo praeterea Andriae loco[40]) ictu versus efferri, dignum videtur quod agnoscamus. Sed Spengelius qualem ipse genuinam versus formam fuisse sibi persuasit:

---

36) nominativus „*ego*" sicut in BCEFP etiam in Decurtato (D) et in Victoriano (G) plane deest.

37) cf. e. g. huius fabulae vv. 329. 550. 888.

38) in adnot. et in append. crit. ad h. v.

39) idem placuit et Klotzio in edit. Andriae et Ritschelio in commentatione „*de gemino exitu Andriae Terentianae*" parerg. Plaut. p. 596.

40) cf. Spengelii adnotat. ad v. 969.

Séquere hac me intro ad Glýcerium, intus núnc est. tu, Dave, ábi domum.

vereor ut eadem facilitate aliis sit persuasurus. Mea quidem sententia omnes difficultates tolli poterunt, si post adverbium „*intus*" in Bembino omissum esse statuerimus verbum substantivum „*est*", quod reliquis libris servatum habemus inter voculas „*nunc*" et „*tu*"; nam illo ipso Bembini loco scripturam satis esse corruptam vel apparet ex sola litterula A ante GLYCERIUM ibi servata. Hunc igitur in modum versum censeo esse scribendum:

Séquere hac me: intus ést ad Glyceriúm[41]) *nunc. tu, Dave, ábi domum.*

Phorm. 936 (V, 8, 43):

Mihi *véro uxorem* **tú** *cedo.*[42])

Et hoc et duobus Hecyrae locis (in vv. 726 et 877) Fleckeisenum iniuria offendentem in pyrrhichia adverbii „*immo*" mensura verba tradita mutasse Dziatzko[43]) optimo iure docuit atque iam Bentleius verum vidit, cum adnotet ad hunc versum: „**Immo vero** *nunquam non primam corripit*". Recte igitur librorum scripturam „*Immo véro uxorem tú cedo*"[44]) plerique editores receperunt. De eadem voce „*immo*" quod Muellerus[45]) quasi pro certissimo affert apud comicos poetas ultimam syllabam semper produci, satis erit monuisse ibi illos ipsos locos, de quibus hic sermo est, plane esse omissos. Eadem in eadem mensura locutio redit apud Caecilium Statium in v. 128 (Ribb.² Com. p. 56):

Immo véro haec ante sólitus sum.

Paulo aliter res se habet in duobus locis hisce:

---

41) ne offendas in duobus accentibus voculae „*Glýceriúm*"; conferas quaeso h. f. vv. 806 et 859.

42) sic. Fl.

43) in append. crit. ad h. v.; eandem praeter alios agnoscunt mensuram Spengelius in introd. ad Andriae edit. p. XXIX, Christ in Mus. Rhen. vol. XXIII. p. 568.

44) perperam transponunt BCP „*tu uxorem*".

45) P. P. p. 37.

1) Phorm. 1048 (V, 9, 59):

'Et praeter spem || **Tú tibi** *nomen díc quid est* || *Mihin? Phórmio.*

Sic versum scripsit Umpf. cum Bentleio, nisi quod hic „*dic quod est?* || *Min?*". In codd. haec leguntur: „*tu tuum nomen dic quod* [QUID A solus] *est? Mihin? Phormio*".

De causis cur ea, quae Bentleius ex Regio quodam se sumpsisse contendit i. e. verba „**tu tibi** *nomen*" pro ceteroqui traditis „*tu tuum nomen*" reicienda sint et cur praeterea modus coniunctivus in eiusmodi interrogationibus obliquis flagitetur, accurate nuper exposuit Ed. Beckerus[46]). Hic autem vir doctus cum aut in Fleckeiseni scriptura — recepto tantum Bembini pronomine „*quid*" — acquiescendum putet

'Et praeter spem || *Tú tuum dic nómen quid sit.* || *Phórmio.*

aut sic legendum.

'Et praeter spem || *Tú tuum nomen díc* [*mihi*] *quid sit.* || *Phórmio.*

illud est ut respiciamus, quod Dziatzko[47]) contra hanc alteram lectionem protulit, et illi priori quoque Beckeri scripturae praefero, quae ipse Dziatzko in editione praebet:

'Et praeter spem || *Tú tuum nomen díce quid sit.* || *Phórmio.*

Eadem forma imperativi recepta etiam Fleckeis. alium Terentii versum

Hec. 803 (V, 3, 5):

'Accedebam: aduléscens, dice dúm quaeso, es tu Mýconius?

multo lenius sanasse mihi videtur quam rell. vv. dd., qui traditam verborum collocationem mutantes sic finem versus finxerunt:

dic dum quaéso, tun es Mýconius?

2) Andr. 548 (III, 3, 16):

Utrique id te oro ín commune ut cónsulas.

Huius codicum lectionis hiatu inter vocabula „*oro*" et „*te*" admisso nemo nisi Ritterus patrocinium suscepit sed, ut

---

46) in Studemundi studiis fasc. I. p. 169 sqq.

47) in append. crit. ad h. v.

plerique consentiunt, satis infeliciter. Quin etiam inde a Guyeto homines docti, ut hiatum evitarent, sic ordinem verborum mutaverunt:

Utríque id oro te ín commune ut cónsulas.

Per se sane haec transpositio lenissima est, sed vereor ne Ritterus recte observaverit dici solere „*te oro*" [48]) non „*oro te*", id quod etiam Ribbeckium [49]) movisse videtur, ut Pomponii v. 61 contra libros scriptos [50]) sic rescriberet:

te oro, váso, per lactés tuas.

Idem verborum ordo redit in Turpilii v. 211 [51]):

Hoc te oro.

Quae cum ita sint, de tradita collocatione nolim quidquam mutari atque quoniam facili negotio haec servari potest, vix dubito quin poeta sic scripserit:

Utríque id **ego te** *oro ín commune ut cónsulas.*

Formam autem Plautinam „*ted*" si quis apud Terentium quoque inveniri arbitretur, eum lenius quam rectius hunc versum sic corrigere persuasum habeo:

Utríque id ted oro ín commune ut cónsulas.

Iam si transeamus ad eos Terentii locos, ubi accusativi pronominum personalium coniunguntur cum reliquis eorundem pronominum casibus obliquis, liceat mihi in enumerando comprehendere et eos versus, ubi accusativus, qui est casus subiecti in constructione accusativi cum infinitivo, et eos, ubi accusativus, qui est casus obiecti, ante reliquos ponitur casus. Quo iure abstineam, quin etiam illos hic afferam versus, in quibus accusativos „*me, te, se, nos, vos*" si quidem sunt verbi cuiusdam reflexivi quod dicitur, coniunctos structura habes cum reliquis casibus obliquis, satis superque cognoscitur, si infra (p. 24 sqq.) de locis illis sermo erit.

Versus Terentianos, qui huc spectant quorumque numerus haud ita magnus est, hic habes:

---

48) e. g. cf. huius fabulae vv. 190. 556. 595.

49) Com.[2] p. 234.

50) „*oro te*" codd.

51) Ribb. l. l. p. 110.

Andr. 238 241 316 432 sq. 544[52]) 869. **Eun.** 137 139 sq. 141 308 407 510 520 703 855 887 1069. **Haut.** 108 116 351 353 (*Ridículumst*, **te** *istuc* **me** *ádmonere, Clítipho*)[53]) 383 468 („**te** *id* **sibi** *dare*": sic edd. cum ll. nisi quod G exhibet „**se tibi** *id dare*", „*id*" add. G²). 489[54]) 511 (*Ne* **nósmet inter nós** *congruere séntiant*)[55]) 624 758 947 1026. **Phorm.** 289[56]) 291 381 581 927. **Hec.** 156 („*posse* **se mecum**" edd. ad librorum fidem, nisi quod A omisso accusativo „*se*" praebet „*posse mecum*"). 208 256 265[57]) 581[58]) 656 798 847[59]) 871. **Ad.** 645 sq. 682 683[60]) 690.

Quamquam allatis his exemplis ne a Terentio quidem legitimum ordinem i. e. **accusativum poni ante ceteros casus obliquos**[61]) esse alienum unusquisque facile concedet, tamen illud statim monebo multo saepius Terentium ab hac norma recessisse quam eundem usitatam nominativi collocationem violavisse supra vidimus: id quod quam rectum sit affirmabitur, si iam omnes enumerabimus locos, ubi vel

---

52) „*a me*" om. Don. in lemm.

53) sic Fl. priores secutus scripsit cum libris ex recensione Calliopii; sed fortasse rectius accusativus „*te*" cum AD¹G omittitur, id quod faciunt U. et Wagn.

54) „*se*" om. G.

55) hanc lenissimam pro traditis „*Ne* **nos inter nos** *congruere sentiant*" Harii coniecturam, quam amplexi sunt et Fl. et U. et O. Seyffertus (in philol. vol. XXV p. 459) praefero eis quae alii vv. dd. (cf. Wagn. in append. crit. ad h. v.) protulerunt.

56) accusativus „*te*", qui efficit subiectum constructionis acc. c. inf., anteit accusativo obiecti „*nos*" (cf. Mahler. l. l. p. 27 adnot. 3): v. supra Haut. v. 353, qualem cum parte librorum legit Fl., et Afran. v. 220 (Ribb.² Com. p. 192).

57) „*Et* **te** *hóc* **mihi** *cupio crédere*" edd. cum optimis codd. et Don.; „*mihi hoc*" DFG.

58) idem redit quod habes in versu 289 Phormionis.

59) Bentl. iniuria secundum duos librorum suorum transposuit „**mihi te**".

60) „*Et* **me tui** *pudet*" edd. cum ll., nisi quod A vix recte exhibet TUUM.

61) cf. Mahl. l. l. pp 27 et 35.

ob hanc vel ob illam causam pronomina leguntur transposita. Vix profecto quisquam eis, quibus singulá pronomina spectant ad verba diversa, uti volet ad infringendam illam legem, attamen re ipsa flagitari mihi videtur, ut hi quoque in lucem prodeant:

Andr. 401 sq. (II, 3, 27 sq.):

Hánc fidem
Sibi me *óbsecravit, quí se sciret nón deserturum, út darem.*

Qua ratione ibi singula inter se coniungenda sint, ipse Donatus hisce verbis optime docet: „*Ordo est: Ut hanc fidem sibi darem me obsecravit, qui sciret non deserturum se*".

Eun. 165 sq. (I, 2, 85 sq.);

Nonne úbi **mihi** *dixti cúpere* **te** *ex Aethíopia*
Ancíllulam.

ib. 1018 (V, 6, 17):

Itan lépidum **tibi** *visúmst, scelus,* **nos** *ínridere?*

Phorm. 61 sq. (I, 2, 11 sq.):

ubi quid **míhi** *lucri est*
Te *fállere?*

ib. 365 sq. (II, 3, 18 sq.):

saépe interea **míhi** *senex*
Narrábat **se** *hunc neglégere cognatúm suom.*

ib. 531 sq. (III, 2, 46 sq.):

crás mane argentúm **mihi**
Míles dare **se** *díxit.*[62])

Hec. 112 sq. (I, 2, 37 sq.):

si **míhi** *fidem*
Das **té** *tacituram, dícam.*

His locis sat facillimis expeditu duos Eunuchi versus adnectere placet, quibus praecedens dativus addita voce „*soli*" haud minus defenditur.

---

62) hoc in versu si quis utrumque pronomen cum solo infinitivo „*dare*" coniungere mavult, ei contradicam, nam dativum „*mihi*" positum esse *ἀπὸ κοινοῦ* quod dicitur neque minus structura adnectendum censeo ad perfectum „*dixit*" quam ad illum infinitivum.

Eun. 480 sq. (III, 2, 27 sq.):

nón **sibi soli** *póstulat*

Te *vívere et sua caúsa excludi céteros.*

ib. 793 (IV. 7, 23):

Díxtin hos **mihí** *dies* **soli** *dáre* **te?**[63])

Hunc versum, quem ad Bembini[64]) auctoritatem praebet Fleckeis., si quis cum priore loco comparaverit, haud mirum ei videbitur iam inde a Guyeto viros quosdam doctos ceterorum codicum lectionem praeferentes sic scripsisse:

Díxtin hos diés **mihi soli** *dáre* **te?**

Atque hanc scripturam ut ego quoque amplecterer, eo magis adductus sum, postquam ceteros Terentianos locos, ubi poeta vocabulum „*solus*" cum pronominibus personalibus coniungit, collegi:

Andr. 285 (I, 5, 50):

Accéssi: vos semótae. **nos soli.**

ib. 293 (I, 5, 58):

Sive háec **te solum**[65]) *sémper fecit máxumi.*

ib. 596 (III, 4, 17):

Ego *véro* **solus.**[66])

ib. 747 (IV, 4, 8):

Cur tu óbsecro hic **me sólam?**

Eun. 407 (III, 1, 17):

Tum **mé** *convivam sólum abducebát* **sibi.**

Hanc et codicum plurimorum[67]) et Donati scripturam

63) Conradtius quippe qui l. l. p. 210 hunc versum adnumeret illis Terentii locis, ubi ultima pronominis „*mihi*" syllaba producitur, hanc eandem agnoscit versus formam.

64) Bentleio, cui in Bembini scriptura pronomen „*mihi*" invenuste dividi in geminos pedes visum est, sic placuit verba rescribere:

Díxtin hosce **míhi** *dies* **soli** *dáre* **te?**

65) „**te** *haec* **solum**" perperam in BCEP; id, quod optimo iure edd. receperunt, legitur in rell. ll. et ap. Don. (bis) et ap. Priscianum II p. 244 H.

66) particulas „*vero*" et „*nunc*" interiectas inter pronomen et vocem „*solus*" non est cur transponamus.

67) „*solum*" deest in BE.

vel ideo prorsus recte se habere arbitror, quod accusativus „*solum*“ meo quidem iudicio non minus substantivum „*convivam*“ quam pronomen „*me*“ respicit.

ib. 1004 (V, 6, 3):

Mihi sólae *ridiculó fuit.*

Haut. 130 sq. (I, 1, 78 sq.):

sumptús domi
Tantós **ego solus** *fáciam?*

ib. 398 (II, 4, 18):

tú *nunc* **sola** [66]) *réducem me in patriám facis.*

Hec. 144 (I, 2, 69):

Post Pámphilus **me sólum** *seducít foras.*

ib. 213 (II, 1, 16):

Tu sóla *exorere, quaé perturbas haéc tua impudéntia.*

Huic sollemni collocationi „**ego solus** . . .“ duo tantum Terentiani versus, quantum video, obstant, quorum alterum

Ad. 34 (I, 1, 9):

Et tibi bene esse soli cum sibi sit male

qui neque exstat in Bembino neque a Donato explicatur, Fleckeis. et Umpf. uncis incluserunt, cum praesertim ad sententiarum nexum optime desiderari possit. Accedit autem, quod dativus „*soli*“ sive cum pronomine „tibi“, id quod Bentleius voluit, sive secundum aliorum sententiam cum pronomine „*sibi*“ coniungimus, semper contra ordinem supra exemplis firmatum positus est. Alterum quendam versum (Hec. 229 = II, 1, 32) edd. Donatum et codd. Calliopianae recensionis secuti sic praebent:

Sóla hic fuisti: **in te** *ómnis haeret cúlpa* **sola,** *Sóstrata.*

Sed cum in Bembino [68]) „*sola*“ prorsus omittatur et in cod. E male transponantur „*Sostrata sola*“, quidni statuamus vocem „*sola*“ olim omissam in deterioribus libris falso loco additam esse? Quidni igitur sic scribamus?

Sóla hic fuisti: **in té sola** *omnis haéret culpa Sóstrata.*

---

68) praeterea „*sola*“ non invenitur in cod. G neque in cod. D nisi a manu secunda.

Ceterum in Eunuchi versu 793, ut eo, unde digressi sumus, revertamur, etiam Muellerus (P. P. p. 170) atque Beckerus (l. l. p. 136) a Bembini scriptura recedendum existimant.

Propter logicas rationes Terentium haud raro legitimum neglexisse ordinem ex hisce exemplis apparet:

Andr. 624 (III, 5, 18):

Námque hoc tempus praécavere **míhi**[69]) **me** *haud te ulciscí sinit*

Eun. 802 (IV, 7, 32):

Míseret **tui me,** *qui húnc tantum hominem fácias inimicúm tibi.*

Comparanti hunc versum cum simillimis[70]) olim probabile mihi visum est versus initium vel contra libros scriptos sic mutari „**Mé** *miseret* **tui**"; sed iam Mahlerus (l. l. p. 48) docuit sequente enuntiato secundario, quod causam exprimat primarii, optime defendi transpositionem.

ib. 930 sq. (V, 4, 8 sq.):

Id vérost quod ego **míhi** *puto palmárium*
Me *répperisse.*

Haut. 488 (III, 1, 79):

Quo máxume **apud te sé** *valere séntiet*

Hoc in exemplo accedit, quod poeta chiasmi formam adhibere voluisse videtur, nam in sequente versu, cuius sententia apertissime respondet versui 488, leguntur haec: „*Abitúrum* **se abs te**".

ib. 626 (IV, 1, 13):

Méministin me grávidam et **mihi te** *máxumo opere edícere?*[71])

---

69) sicut hoc loco fere omnibus ceteris in praemissum casum obliquum etiam ictus versus cadit.

70) Andr. 869: „*nónne* **te** *miserét* **mei**?" Haut. 1026: „*núnc* **te** *miserescát* **mei**".

71) sic legunt Fl. et Wagn. cum Bentl.; infinitivum „*esse*" post pronomen „*me*" libris traditum servant U. et Beckerus (l. l. p. 260) admissa hac mensura: „*Méministin me ěsse grávidam e. q. s.*"

Hec. 269 (II, 2, 27):

Non pósse **apud vos** *Pámphilo* **se** *absénte perduráre.*

ib. 386 (III, 3, 26):

„*Quaéque fors fortúna est*", *inquit*, „**nóbis** *quae* **te** *hodie óbtulit.*"

Quantopere hoc in versu dativum „*nobis*" premi poeta voluerit, etiam ex eo intellegitur, quod hic vel pronomini relativo praemittitur

ib. 500 (III, 5, 50):

Ita núnc is **sibi me** *súpplicaturúm putat.*

ib. 583 sq. (IV, 2 7 sq.):

Praepósitam amori tuó: nunc **tibi me** *cértum est contra grátiam*
Reférre.

Sic praebent verba edd. cum plerisque codd., nisi quod in A accus. „*me*", qui et metro et sensu flagitatur, deest. Itaque fortasse quispiam putaverit hoc in versu poetam sollemni pronominum collocatione usum sic scripsisse „. . . *tuó: nunc* **me tibi** *cértum* . . ." At equidem censeo Terentium velut supra in Haut. versu 388 hic quoque chiasticum usurpavisse ordinem, ita ut respondeant „**tibi me**" antecedentibus „*quo pacto* **me** *hábueris Praepsóitam amori* **tuó**".

ib. 761 (V, 1, 35):

Fácilem benivolúmque lingua túa iam **tibi me**[72]) *réddidit.*

Ad. 457 (III, 4, 11):

Illé **tibi** *moriens* **nós** *commendavít senex.*

Hanc codicum lectionem suo iure edd. exhibent neglecto Donati testimonio, qui usitatum praebet ordinem „**nos tibi**"; nam ex duobus qui antecedunt versibus satis superque cognoscitur, quantam poeta vim secundae personae his in versibus tribuat.

ib. 617 (IV, 4, 9):

Crédit **mihi me** *psáltriam hanc emísse.*

---

72) unius codicis F scriptura „**me tibi**" hoc loco dignum non videtur, quam recipiamus.

His omnibus locis quoniam tam egregie codices transposita tuentur pronomina, vix mihi tempero, quin hos tres saltem versus, de quibus nunc sermo erit, corrigendos esse pro certo affirmem:

1) Haut. 952 (V, 1, 79):

Quí **sibi me** *pro déridiculo ac délectamentó putat.*

In hac deterioribus libris sustentata scriptura plerique vv. dd. acquieverunt, postquam Guyetus et Bentleius recte monuerunt Bembini[73]) lectionem propter metricas rationes ferri non posse. Sed ceterorum codicum „*deridiculo*" recipientes num recte fecerint edd., id sane dubitari potest. Wagnerus enim quae ad hunc versum adnotat[74]), haec minime mihi arrident neque Guyetus idem sensisse videtur atque novissimus ille editor, utpote qui probata vocula „**de***ridiculo*" traditum „**de***lectamento*" commutaverit in vocem „**ob***lectamento*" Terentii maxime propriam. Mihi contra haud improbabiliter Bembini „*ridiculo*" servandum videtur vel ob similem Terentii locum[75]), neque illud plane silentio dissimulandum erit „*deridiculi*" vocem, quae sane Plautina[76]) est, nullo nostri poetae exemplo comprobari.

Itaque transpositis pronominibus hunc propono versum:

Quí **memet sibi** *pró ridiculo ac délectamentó putat.*

Sed vide an non lenius tantum sed etiam rectius sic restituatur versiculus:

Quí **sibimet me** *pró ridiculo ac délectamentó putat.*

2) Phorm. 172 (I, 3, 20):

Ita plérique omnes súmus ingenio, **nóstri nosmet** *paénitet.*

Priorem huius versus partem Bentleius ex suo codice C. C. restituit[77]) atque ceteri vv. dd. suo iure eum secuti

73) idem quod in A: „*Qui* **sibi me** *pro ridiculo ac d. p.*" exstat in codd. D^1FG.

74) Man bemerke die effectvolle Wiederholung von „*de*".

75) Eun 1004. „*Mihi sólae ridiculó fuit.*"

76) cf. e. g. Pseud. 1058 R. „*pér deridiculúm dare*".

77) omnes nostri ll. excepto Bembino, ubi a prima manu versus omittitur et auctores, a quibus laudatur, praebent: „*Ita plerique ingenio sumus omnes.*"

sunt, nam "*plerique omnes*" quae verba pro una quasi parte orationis habenda esse affirmat Donatus[78]), sollemnem esse apud comicos poetas collocationem satis demonstratur illis quae afferunt editores exemplis[79]). Sed sub finem quoque versus pronomina „**nostri nosmet**" ideo maxime invertenda censeo, quod accusativus, qui vel per se praemitti soleat, hoc loco ob additam syllabam „*met*" meo quidem iudicio praecedere debet neque audacius „**nostri nosmet**" transponentur quam illa, quae Bentleio omnes concedere vidimus. Neque plane contemnenda est Pseudoacronis[80]) auctoritas, quem saepius cum Bembino consentire comprobavit Umpf.[81]). Phormionis igitur versum sic reponere placet:

Ita plérique omnes súmus ingenio, **nósmet nostri** *paénitet.*

3) Hec. 577 sq. (IV, 2, 1 sq.):

Non clám me est, gnate mí, **tibi me** *esse súspectam uxorém tuam*
Proptér meos mores hínc abisse.

Hanc lectionem, qualis et in codd. et apud Donatum traditur, plerique edd. amplexi sunt neque minus a nostra parte concedendum erit Terentium si omnino utrumque pronomen hoc loco usurpaverit, propter additum vocativum[82]) „*gnate mi*" dativum „*tibi*" accusativo „*me*" praemittere non tam potuisse quam debuisse. Nihilo setius iam Bentl., postquam ea, quae in ll. exstant, optime ferri posse professus neque quidquam mutare ipse ausus est, collato hoc versu cum alio[83]) eiusdem fabulae sic pergit „*Sed aperiam suspicionem meam fortassis ab auctore sic primum venisse*:

---

78) in nota ad Andr. I, 1, 28 (55).

79) Andr. 55; Pl. Trin. 29 R (cum adnotatione Brixii); „*pleraque omnia*" Haut. 830.

80) ad Hor. Serm. I, 1, 13 haec Terentii verba laudat „**nosmet nostri** *paenitet*".

81) in praefat. p. LXVI sq.

82) cf. quae supra (p. 6 sq.) diximus de Andr. 618 et Phorm. 532.

83) Hec. 398 sq. (III, 3, 38 sq.):

scio neminem áliter suspectúm fore
Quín, quod veri símilest, ex te récte eum natúm putant.

Non clám me est esse tibí suspectum, gnáte mi, uxorém tuam
Proptér meos mores hínc abisse.

Et profecto accusativum „*me*" locum vix habere non negabis, si ea, quae sequuntur, respicies. Hoc idem sensit Fleckeis. et praeeunte Bentleio, ita autem ut libris traditam verborum collocationem servaret, sic suo iure, ut equidem censeo, scripsit:

Non clám me est, gnate mí, tibi esse súspectum, uxorém tuam
Proptér meos mores hínc abisse.

His locis perlustratis quamquam legem de collocando accusativo, qui structura coniungitur cum ceteris casibus obliquis, a Terentio haud raro violari unusquisque intelleget, tamen re vera illam exstitisse etiam reliquorum comicorum fragmentis luculenter comprobari puto. Ex illis enim cum plus decem loci normae huic satisfacientes mihi praesto sint, tres tantum indagavi ei contradicentes, quos hic habes:

Naevius v. 5 (Ribb.² Com. p. 6):

'Age ne **tibi med**[84]) *ádvorsari dícas hunc unúm diem.*

Caecilius Statius v. 23 (l. l. p. 39):

Advénio ne **tibi me** *ésse ob eam rem obnóxium*

Turpilius v. 18 (l. l. p. 87):

Pudét pigetque **meí me** . . .

In Naevii versu particula exhortandi[85]) „*age*" effectum esse apparet, ut „*tibi*" poneretur ante accusativum „*me*", neque Guilielmio assentior lenem per se inversionem „**me tibi**" probanti. Deinde in Caecilii Statii versu nisi quis putet consilio sic pronomina a poeta collocata esse, ut chiasticus oriatur ordo eis pronominibus, quae in antecedente versu leguntur „*quamquam* **ego** *mercede huc conductus* **tua**" non video quid obstat, quin transponamus:

Advénio, ne **me tíbi** *ĕsse ob eam rem obnóxiam.*

---

84) „*tibi med*" Ribb. suadente Bergkio: „*tibi me*" ll.; alias aliorum coniecturas v. ap. Ribb. l. l.

85) cf. Mahlerum l. l. p. 54 sqq.

Turpilii denique loco paene pro certo affirmaverim libris invitis legendum esse:

Pudét pigetque **mé mei**[86] . . .

Iam priusquam ad extremam huius capitis particulam, quae erit de pronominum personalium casibus obliquis — excepto accusativo — inter se coniunctis, eos breviter sicut promisi (p. 14) enumerare placet locos, ubi et accusativus pronominis reflexivi et alius pronominis personalis casus obliquus inveniuntur. Et quo iure supra monuerim haec pronomina reflexiva, sive praecedunt ceteri casus obliqui sive subsequuntur, quam proxime accedere solere ad verba sua, quibuscum in unam quasi notionem confluant, ipsis Terentianis exemplis statim docebitur:

Andr. 686 (IV, 2, 3):

Mysís ‖ *Quis est? hem, Pámphile optumé* **mihi te offers** ‖
Quíd id est.

Sic cum Umpf. et Fleckeis.[87]) legendum censeo; namque quae de eiusmodi versibus caesura carentibus disputavit Kraussius[88]) nequaquam illis, quae Spengelius[89]) protulit, infringi nuperrime docuit O. Brugmannus.[90]) Ipse Spengelius[89]) quod proposuit nostro loco et „*em*[91]) *Pámphile*, **mihi te** *óptume* **offers**" (hanc scripturam in editione praebet) et „*em*, **te** *óptume* **mihi**, *Pámphile*, **offers**" vel ob id ipsum minus commendatur, quod codicibus invitis accusativus „*te*" in utraque lectione uno vel pluribus vocabulis interiectis a verbo „*offers*" secernitur.

ib. 897 (V, 3, 26):

Tíbi, *pater*, **me dédo.**

---

86) cf. quae modo de Phormionis versu 172 prolata sunt.

87) hic vir doctus fortasse rectius suadente Bentleio exhibet particulam „*ehem*", utpote vivacius dictam.

88) in Mus. Rhen. vol. VIII p. 544 sqq.

89) cf. adnot. crit. ad v. 231 h. f.

90) in Fleckeis. annal. a 1876 vol. CXIII p. 419.

91) particula „*em*" hic certe locum non habet; cf. Ribb. Latein. Partikeln p. 29 sqq.

Eun. 195 (I, 2, 115):

Me spéres, **me te obléctes**, *mecum tóta sis.*

ib. 515 sq. (III, 3, 9 sq.):

ipsa accúmbere

Mecúm, **mihi sese dáre**, *sermonem quaérere.*

ib 795 (IV, 7, 25):

et cum eo clám **te subduxtí mihi**[92])

ib. 800 (IV, 7, 30):

Scín tu ut **tibi** *res* **se hábeat?**[93])

ib. 1040 (V, 8, 10):

Nobís dedit se.

Haut. 393 (II, 4, 13):

hi **se ad vos ádplicant**

Hoc loco inter pronomen reflexivum et verbum interpositas esse voculas „*ad vos*" non est cur miremur, quoniam hae artissime adnectendae sunt ad verbum „*adplicant.*"

ib. 688 (IV, 3, 10):

Ita crédo: sed nunc, Clínia, age, **da té mihī** *vicíssim*

Sic cum priorr. edd. et Conradtio (l. l. p. 210) legi malim quam quod recc.[94]) hiatum post vocem „*Clinia*" statuentes defendunt:

Ita crédo: sed nunc, Clínia |, *age,* **dá te mihi vicíssim.**

Nam mensurae „*mihĭ, tibĭ, sibĭ*" haec Terentii exempla in promptu habeo: Andr. 112. 650 (Fl.)[95]) 684. Haut. 977. Phorm. 748. Hec. 623. Ad. 142.[96])

Hec. 380 (III, 3, 20):

---

92) sic suo iure edd. cum plurimis codd. et Donato, nisi quod U. ad Bembini fidem scripsit:

et cum eo **té** *clam* **subduxtí mihi.**

93) pro coniunctivi forma „*habeat*" fortasse rectius legi indicativum „*habet*" exponit Ed. Beckerus l. l. p. 280.

94) Fl. U. Wagn. in edd.; Spengel. in praef. ad Andriae edit. p. XXXII.

95) cur Fleckeiseni hoc in versu scripturam amplectar, paulo infra exponetur.

96) cf. Spengel. l. l. p. XXIX in adnot. **.

'Omnibus **nobis** *út res* **dant sese**, *íta magni atque humilés sumus*

Ad. 322 (III, 2, 24):

Te éxpecto: oppido ópportune **te óbtulisti mi** *óbviam.*

ib. 838 (V, 3, 52):

mitte iam ístaec: **da te** *hodié* **mihi**

Unus quantum eruere potui, exstat in Terentii fabulis locus, quo sane luculentissime illa de pronominis reflexivi collocatione norma violatur:

Hec. 626 sq. (IV, 4, 4 sq.):

Huic véro nulla est ‖ *'Opportune* **té mihi,**
Phidíppe, in ipso témpore **ostendís.** ‖ *Quid est?*

Haec in universum omnes [97]) praebent ll. et Don. neque vv. dd. quidquam mutaverunt. Inusitata collocatio accusativi „*te*", quem haud sine consilio poeta in arsi versus posuisse videtur, nescio an ob illud optime excusari possit, quod vocativus „*Phidippe*" additur, quo casu addito pronomini secundae personae haud parvam vim tribui iam pluribus in exemplis vidimus.

Itaque nunc mihi ipsi neque necessarium neque probabile videtur hunc locum ad normam nostram corrigere, id quod fieri nequit nisi quis compluria in his versibus optime traditis immutat.

Ex comicorum fragmentis duo huc referendi sunt loci Trabea v. 5 (Ribb.^{2} Com. p. 31):

Míhi se dedet.

Turpilius v. 89 (l. l. p. 96):

Immórtalitas **se optulít mi** [98]) *haec facúltas.*

Postremo si iam reliquos Terentii versus in iudicium vocabimus, ubi bina pronomina personalia structura coniunguntur, illud, quod supra tetigi, apparebit Mahleri (l. l. p. 38 sqq.) normas minime firmari: nam illi quidem legi „*dativum collocari solere ante accusativum et ablativum ex*

---

97) cod. E, deterioris notae, om. „*te*".

98) „*mi*" Ribb. cum Bothio; „*mihi*" codd.

praepositionibus pendentes“ par fere numerus locorum et assentitur et contradicit; quod autem porro Mahlerus (p. 46) statuit „*ablativum absolutum poni ante casus obliquos*“ hoc duobus solis quae exstant exemplis Terentianis[99]) non modo non comprobatur sed prorsus evertitur. Sed iam exempla ipsa in medium prodeant:

Andr. 35 sqq. (I, 1, 8 sqq.):

a párvulo ut sempér **tibi**
Apúd me *iusta et clémens fuerit sérvitus.*

ib. 420 (II, 5, 9):

Neque istíc neque aliter **tíbi** *erit usquam* **in mé** *mora.*

„*tibi*“ om. D.

ib. 573 (III, 3, 41):

Noló **tibi** *ullum cómmodum* **in me** *claúdier.*

Bentleio, qui et hic et in Eunuchi versu 164 (I, 2, 84) verbum „*intercludier*“[100]) assumpsit, nemo recentiorum adstipulatus est.

Eun. 139 sq. (I, 2, 59 sq.):

Ait sí fidem habeat se íri praepositúm **tibi**
Apúd me.

ib. 240 (II, 2, 9):

'Itan parasti te, út spes nulla rélicua **in te** *sít* **tibi?**

ib. 755 (IV, 6, 17):

Mílitem **secum ád te**[101]) *quantas cópias addúcere?*

ib. 1058 sq. (V, 8, 28 sq.):

póstulo ut **mihi** *túa domus*
Té *praesente absénte pateat.*

---

99) Eun. 1058 sq. et Hec. 254 sq.

100) in Andriae versu haec scriptura nullis codicum commendatur vestigiis et Eunuchi loco haec traduntur: „*in te claudier*“ A et Don. in lemm.; „*interclaudier*“ BCEP; „*intercludier*“ D; *cōcludier* (*inter* supra scr.) G, „*co*“ a corr. in ras.: idemque in margine repetivit „*cōcludier*“.

101) ex hoc uno Terentii versu sic composito, ut utrumque pronomen pendeat a praepositione, certi quidquam concludi nequit; cf. autem Mahl. l. l. p. 40 sq.

Perperam transponunt „*tua mihi*“ CFP, quam pronominum collocationem Bentl. dativum „*mihi*“ melius in arsi versus poni arbitratus non recte defendit.

Haut. 742 (IV, 4, 20):

Etiámne **tecum** *hic rés* **mihi** *est?*

ib. 965 (V, 2, 12):

tibi *non lícuit* **per te** *míhi dare.*

Phorm. 139 (I, 2, 89):

In me *omnis spés* **mihi** *est.*

„*michi spes est*“ E; „*spes est mihi*“ Don. in lemm.

ib. 375 sqq. (II, 3, 28 sqq.):

Absentí **tibi**

Te *indígnas* **se***que dígnas contumélias*

Numquám cessavit dícere.

ib. 421 (II, 3, 74):

Postrémo **tecum** *níhil rei* **nobis,** *Démiphost.*

ib. 810 (V, 3, 27):

Itan parvam **míhi** *fidem esse* **apúd te**

Hec. 223 (II, 1, 26):

'At vide, quam immerito aégritudo haec **mi ábs te** *oriatur, Sóstrata.*

Hanc versus scripturam, quam proposuit Ed. Beckerus (l. l. p. 296), ei praefero, quam ad hunc usque diem edd. libros et Donatum secuti receperunt:

'At vide quam immerito aégritudo haec óritur **mi abs te,** *Sóstrata.*

Probavit enim ille v. d. in huius modi enuntiatis modum coniunctivum esse usurpandum.

ib. 254 sq. (II, 2, 12 sq.):

Aut éa reffellendo aút purgando **vóbis** *corrigémus*

Te *iúdice ipso.*

ib. 579 (IV, 2, 3):

ítaque obtíngant **éx te** *quae exoptó mihi.*

ib. 655 (IV, 4, 33):

si **ex me** *illa líberos vellét* **sibi.**

Hunc Bembini[102]) ordinem verborum iam Faernus recte elegantiorem dicit quam reliquorum codicum.

ib. 666 (IV, 4, 45):

Neutra in re **vobis** *difficultas* **á me** *erit.*

ib. 736 (V, 1, 10):

Si véra dicis, níhil **tibi** *est* **a mé** *pericli, múlier.*

ib. 767 sq. (V, 2, 1 sq.):

Nil **apud mé tibi**
Defíeri patiar, quín benigne quód opust, praebeátur

Sic legendum esse nuper Fleckeiseno[103]) maxime visum est probabile, postquam Conradtium (l. l. p. 27 sqq.), cur hoc in altero versu metrum iambicum statuendum esset, recte vidisse libere confessus est, neque minus uterque vir doctus consentit coniunctivum „*opus sit*," qui libris[104]) traditur vix habere, quemadmodum excusari possit. Sed quominus Conradtio assentiar, qui praeeunte Bentleio

Defíeri patiar quín quod est, benígne praebeátur

scripsit, eis impedior quae Fleckeis. l. l. de verborum sensu protulit.

ib. 851 (V, 4, 11):

neque **in me** *ipso* **tíbi** *boni quid sít scio.*

Ad. 177 (II, 1, 23):

Quid **tíbi** *rei* **mecumst?**

ib. 189 (II, 1, 35):

támen **tibi a me** *núlla orta est iniúria.*

ib. 455 (III, 4, 9):

In té *spes omnis, Hégio,* **nobís** *sita est*[105])

ib. 800 sq. (V, 3, 14 sq.):

num quí minus
Mihi idém ius aequomst ésse? quid **mecúmst tibi?**[106])

---

102) rell. ll. aeque ac Don. (bis) et Eugraph. in lemm. haec exhibent: „*si illa ex me*".

103) in annal. philol. a. 1876 vol CXIII. p. 536 sq.

104) unus cod. E praebet „*opus est*".

105) v. supra Phorm. 139.

106) cf. ex versibus, qui modo enumerati sunt Haut. 742; Phorm. 421; Ad. 177.

Caput II.

In hoc capite, quod est de eis enuntiatis, ubi eiusdem pronominis — praeter pronomina personalia — exstant duo casus, aptissimum videtur proficisci a pronominibus possessivis. Et in hoc quoque pronominum genere usurpando Terentium easdem quas in antecedente capite posuimus (v. supra pp. 3 et 15) normas secutum esse vel hisce exemplis allatis demonstrabitur:

Andr. 296 (I, 5, 61):

Bona **nóstra** *haec tibi permítto et* **tuae** *mandó fide.*

Formam bisyllabam „*fide*“, quae sane et hic et duobus Eunuchi locis (in vv. 886 et 898) flagitatur, rectissime Fleckeisenum[1]) vel invitis libris recepisse arbitror

ib. 534 sq. (III, 3, 2 sq.):

Aliquót me adierunt, éx te auditum qui aíbant, hodie fíliam
Meam *núbere* **tuo** *gnáto.*

ib. 969 (V, 6, 5):

Glýcerium **mea suós** *parentes répperit.*

Hanc Bembini scripturam cur cum Umpfenbachio et Spengelio praeferam reliquorum librorum

Méa *Glycerium* **suós** *parentes répperit* [2])

satis cognosci potest ex eis quae supra (p. 11 sq.) de eiusdem fabulae versu 978 disputavimus.

Haut. 711 sq. (IV, 3, 33 sq.):

ut, cum narrét senex
Vêster nostro *esse ístam amicam gnáti, non credát tamen.*

ib. 1025 (V, 4, 2):

dictus fílius **tuos véstra** *voluntate: óbsecro.*

Sic recte legunt recc. edd. cum cod. Bembino, priorr. ceteros libros secuti exhibent „**tuos tua** *voluntate.*“

---

1) in Andriae versu eandem agnoscit formam Spengelius; contra et priorr. et U. tribus illis locis cum codd. praebent „*fidei.*“

2) hanc lectionem, quam Donatus quoque exhibet in lemmate, amplexi sunt Bentl. et Fl.

Hec. 47 sq. (prol. II, 39 sq.):

fácite ut **vestra** *auctóritas*

Meae *auctóritati faútrix adiutríxque sit.*

ib. 108 sq. (I, 2, 33 sq.):

Numquám tam dices cómmode, ut tergúm **meum**

Tuam ín *fidem commíttam*

ib. 577 sq. (IV, 2, 1 sq.):

Non clám me est, gnate mí, tibi esse súspectum uxorém **tuam**

Proptér meos *mores hínc abisse.*

de quo loco supra p. 22 sq. dixi.

ib. 592 sq. (IV, 2, 16 sq.):

Tum **tuás** *amicas te ét cognatos déserere et festós dies* [3])

Mea *caúsa nolo.*

Ex eis locis, qui huic collocationi pronominum possessivorum contradicunt, unus quidem (Andr. v. 650 sq.) iam a Kraussio [4]) metricas ob rationes probabiliter conformatus est. Habes enim hunc locum et in ll. et in plerisque editt. hoc modo conscriptum:

Quantásque hic **suis** *consíliis mihi conféčit* [5]) *sollicitúdines*

Meus *cárnufex.*

Kraussius igitur omissa contra codicum auctoritatem ablativo plane suspervacaneo [6]) „*suis*" haec scribi proposuit:

Quantásque hic consiliís mihi conféčit sollicitúdines

Meus cárnufex.

---

3) in hac vulgata versus lectione cur fortasse pauca mutanda sint, v. infra p. 47.

4) in Mus. Rhen. vol. VIII, p. 557 sq.

5) rectius cum Donato legi „*conflavit*" nuperrime monuit O. Brugmannus l. l. p. 419 contra Spengelium, qui librorum „*confecit*" denuo agnoscit.

6) Klotzium, qui in adnotat. ad h. v. Kraussii sententiam impugnans ablativum „*suis*" necessarium esse asseverat, hac in re haud feliciorem fuisse puto, quam quod Donati „*conflavit*" postponit codicum „*confecit.*"

Atque eum secuti suo iure, ut opinor, haec exhibent in editt. Fleckeisenus et Meissnerus:

Quantásque hic consiliís mihi confldávit sollicitúdines
Meus cárnufex. 7)

Ob chiasmi figuram poeta a sollemni pronominum ordine consilio, ut mihi videtur, recessit in

Hec. v. 52 sq. (prol. II, 44 sq.):

qui **in** *tuteldm* **meam**
Studiúm **suom** *et se in véstram commisít fidem.*

Idem quodammodo quoque cadit in

Ad. v. 170 (II, 1, 16):

Cave núnciam oculos **á meis** *oculis quóquam demoveás* **tuos.**

In duobus quae nunc addam exemplis et nominativus et accusativus artissime coniungendi sunt cum ipso verbo atque ideo vix erit, cur offendamus:

Phorm. 587 (IV, 1, 21):

nam ego **meórum** *solus súm* **meus.**

Ad. 875 (V, 4, 21):

'Ita eos **meo** *labóre eductos máxime hic fecít* **suos.** 8)

Alius locus,

Phorm. 43 sq. (I, 1, 9 sq.):

Quod ille únciatim víx **de** *demensó* **suo**
Suóm *defrudans génium conpersít miser.*

ob eam causam prorsus nihil contra normam nostram valet, quoniam „*de suo*" et „*Suom*" ad diversa spectant verba et praeterea voces „*Suom defrudans genium*", cum appositionis quae vocatur loco fungantur, ponuntur ut ita dicam extra constructionem totius enuntiati. Vix difficilius est intellectu cur poeta in

Hec. v. 226 (II, 1, 28):

---

7) cf. etiam Spengelii not. crit. ad v. 650, qui quamquam omisso vel „*suis*" vel „*mihi*" versum melius fluere concedit, tamen priorem versus formam amplectitur, quod praeterea faciunt U. et Ed. Beckerus (l. l. p. 221 sq.).

8) in hoc versu accedit, ut verba „*meo labore eductos*" appositionem efficiant; itaque cf. quae statim dicentur de Phormionis vv. 43 sq.

Súmptus **vestros** *ótiumque ut* **nóstra** *res possét pati*
usitatum neglexerit collocationem pronominum: ibi enim quanta vis sententiae in accusativis insit, satis elucet ex eo, quod illos Terentius vel ante coniunctionem „*ut*" posuit. Quae cum ita se habeant, non puto unico illo exemplo, ubi nisi quis sententiarum nexui quandam vim tribuet, indagari vix poterit, cur poeta ablativum praemiserit accusativo, normas illas plane tolli. Locus hic est:

Hec. 68 sq. (I, 1, 11 sq.):

ábs te ut blanditiís **suis**
Quam mínimo pretio **suám** *voluptatem éxpleat.*

Atque haec quidem de pronominibus possessivis; nunc autem ea Terentii exempla nobis sunt examinanda, in quibus aliorum pronominum inprimis demonstrativorum bini casus structura inter se coniuncti sunt, et ibi quoque ab eis placet incipere versibus, qui vel **nominativum** vel **accusativum positum** praebent **ante ceteros casus eiusdem pronominis:**

Andr. 46 (I, 1, 19):

hoc *primum* **in hác** *re praedicó tibi.* [9])

ib. 110 sq. (I, 1, 83 sq.):

hic *párvae consuetúdinis*
Causa **húius** *mortem tám fert familiáriter.*

ib. 471 (III, 1, 13):

Haec *prímum adfertur iám mihi* **ab hoc** *fallácia.*

ib. 772 (IV, 4, 33):

Ne **illa íllum** *haud novit cúius causa haec íncipit.*

ib. 786 (IV, 4, 47):

Scelera, **hánc** *iam oportet ín cruciatum* **hinc** [10]) *ábripi.*

Eun. 158 (I, 2, 78):

Nempe ómnia **haec** *nunc vérba* **huc** *redeunt dénique.*

---

9) ex permultis horum exemplis id cognoscitur Terentium tum quoque duobus eiusdem pronominis formis uti adamare, cum ad eandem vel personam vel rem non spectant.

10) adverbia *hinc huc* similia, quoniam munere quasi casuum obliquorum funguntur, his in exemplis respicere mihi licebit.

ib. 233 (II, 2, 2):

hoc *ádeo* **ex hac** *re vénit in mentém mihi.*

ib. 269 sq. (II, 2, 38 sq.):

Hisce hoc *múnere arbitrántur*
Suam Tháidem esse.

ib. 570 (III, 5, 22):

Neque **ís** *deductus étiam dum* **ad eam.**

ib. 622 (IV, 1, 8):

ibi **illa cum íllo** *sermonem ílico.*

ib. 746 (IV, 6, 8):

haec *atque* **huíus** *modi sum múlto passa.*

Hoc in versu omnes, quantum video, edd. amplexi sunt quod legitur et in A et apud Donatum; „*eius modi*" habes in libris Calliopiae recensionis.

Haut. 136 (I, 1, 84):

nam usque dum **íllo** *vitam* **illám** *colet.*

ib. 585 sq. (III, 3, 24 sq.):

Quid faciám? ‖ *Iube* **hunc**
Abíre **hinc** *aliquo.*

ib. 604 (III, 3, 43):

Hánc *secum* **huc** *addúxit.*

ib. 605 sq. (III, 3, 44 sq.):

illam illí *tamen*
Póst daturam.

ib. 751 (IV, 5, 3):

Illáncine *mulierem álere* **cum illa** *fámilia.*

ib. 781 (IV, 5, 33):

Non égo dicebam in pérpetuom ut **illam illí** *dares.*

ib. 875 sq. (V, 1, 2 sq.):

Séd **hic** *adiutor méus et monitor ét praemonstratór Chremes*
Hóc *mihi praestat.*

Phorm. 120 sq. (I, 2, 70 sq.):

Ille *índotatam vírginem atque ignóbilem* [11])

---

11) de initio huius versus haec adnotat U. in appar. crit. ILLE (an ILLI?) A corr. rec.; „*Illene*" BCDEFGP et Don. in lemm.

Daret **ílli?** *nunquam fáceret.*

Hunc locum qualis est in editionibus bene se habere nemo negabit, attamen si versus [12]), quos modo commemoravimus, cum hoc Phormionis exemplo contulerimus, nescio an Bembini vestigiis indicetur duos pronominis „*ille*" casus a poeta iuxta positos esse; itaque sic fortasse scribendum esse mihi in mentem venit:

Ille illi [13]) *índotatam vírginem atque ignóbilem*
Daret únquam? Nunquam fáceret.

ib. 304 (II, 1, 74):

Egon **íllam cum illo** *ut pátiar nuptam unúm diem?*

ib. 529 (III, 2, 44):

Nam **híc** *me* **huius** *modi scíbat* [14]) *esse.*

ib. 635 (IV, 3, 30):

Haec hínc *facessat, tú molestus né sies*

ib. 779 (V, 2, 14):

Provísum est, ne in praeséntia **haec hinc** *ábeat.*

ib. 978 sq. (V, 8, 85 sq.):

Non **hóc** *publicitus scélus* **hinc** *asportárier*
In sólas terras

Sic et Bentleius et recc. edd. rectissime cum Bembino [15]) legunt et Ritschelius quoque hoc de loco disputans [16]) Bembini scripturae maiorem tribuit fidem.

Hec. 6 sq. (prol. I):

Et **ís** *qui scripsit hánc* **ob eam** *rem nóluit*
Iterúm referre.

---

12) v. supra Hautontimorumeni vv. 605 sq. et 781.

13) mensura hic eadem est atque in Haut. v. 781: *ŭt* **ĭllam ĭllí** *dares.*

14) SCIEBATESSE ADG; *esse sciebat* BCEFP; sicut hic etiam alibi (cf. e. g. Eun. vv. 113 700 1004) edd. eiusmodi imperfecta in *-ibam* exeuntia restituerunt cf. Neue: Formenlehre der latein. Sprache vol. II² p. 207.

15) a vocula *Nonne* incipit prior versus in ll. BCP et in testimoniis Charisii et Servii.

16) parerga Plautina p. 369 in adnotatione.

ib. 142 (I, 2, 67):

ille *invítus* **illam** *dúxerat.*

ib. 160 sq. (I, 2, 85 sq.):

Atque éa res multo máxime
Diiúnxit **illum ab ílla.**

ib. 409 sq. (III, 3, 49 sq.):

hunc *minimést opus*
In hác *re adesse.*

ib. 554 (IV, 1, 39):

Nám si **is** *posset* **áb ea** *sese dérepente avéllere.*

ib. 567 (IV, 1, 52):

Nam ut **híc** *laturus* **hóc** *sit.*

ib. 774 (V, 2, 8):

Haec *rés* **hic** *agitur.*

ib. 821 (V, 3, 23):

Hic *ádeo* **his** *rebus ánulus fuit ínitium inveniúndis.*

Ad. 608 (IV, 3, 17):

Quaprópter te **ipsum** *púrgare* **ipsi** *córam placabílius est.*

ib. 824 (V, 3, 38):

Hoc *lícet impune fácere* **huic.**

Iam his exemplis quoniam satis meo quidem iudicio demonstratur Terentium ibi quoque consilio posuisse et nominativum ante omnes casus et accusativum ante ceteros casus obliquos, nunc paucos illos locos, qui contrariam praebent collocationem paulo accuratius examinare in animo est, utrum sint emendandi an causa possit indagari, qua commotus poeta ordinem sollemnen neglexerit.

Atque in quattuor quidem exemplis maxime gaudeo ipsis codicum indiciis corruptelam prodi. Primo igitur loco ei versus in medium prodeant, quibus, quales ab ipso poeta profecti sunt, normas illas duas non putaverim esse violatas:

1) Andr. 532 (III, 2, 52):

Atque ádeo **in ipso** *témpore eccum* **ipsum** *óbviam.*

Hanc versus scripturam, quae libris BCEP nititur, nisi quod praepositio „*in*" ex rell. codd. assumpta est, vides apud recc. edd. atque nuper denuo defendit A. Luch-

sius [17]). Contra DG, qui libri sane persaepe soli congruunt cum Bembino praebent hunc versum iustos senarii limites excedentem

Atque adeo **in ipso** *tempore eccum* **ipsum** *obviam Chremem.*

Et Donatum quoque ibi accusativi formam „*Chremem*" in exemplari suo legisse satis luculenter exposuit Bentleius neque possum non assentiri huic viro sagacissimo in illo, quod accusativum „*Chremem*" in poetae verbis servandum censet. Sed tantum abest ut mihi idem vir summus persuaserit voce „*obviam*" eiecta scribendum esse:

Atque ádeo **in ipso** *témpore eccum* **ipsúm** *Chremem*

ut ad ea, quae Goveanus, D. Heinsius, alii proposuerunt, quam proxime accedens sic fere versiculum legi velim:

Atque ádeo in tempore óbviam eccum ipsúm Chremem.

Qua in scriptura ne illud quidem plane neglegas quaeso, quam facile, quoniam „*in tempore*" [18]) et „*in ipso tempore*" [19]) promiscue adhibentur a Terentio, hunc in versum pronomen „*ipso*" irrepere potuerit.

2) Haut. 685 (IV, 3, 7):

Cuiquam *aéque audísti cómmode* **quicquam** *évenisse?* ||
Núlli.

Hanc quam primus proposuit Bentleius versus speciem [20]) recc edd. receperunt, quamquam ipse Bentl. ad commendandam suam coniecturam nihil protulit nisi haec: *lege „cuiquam aeque"* **Cuiquam quicquam: numquam quicquam:** *in his placent sibi Comici.* Sed quoniam supra demonstrare conati sumus poetam, si re vera „*cuiquam*" et „*quicquam*" hoc in versu coniunxisset, accusativum praemissurum fuisse, vel ideo sententiae viri doctissimi diffidemus. Fortasse autem

---

17) in „Studemundi studiis" p. 62.

18) Andr. 758; Haut. 364; Phorm. 464, eodem sensu usurpatum habes „*per tempus*" Andr. 783 et Hec. 622; cf. quoque Brixium in nota ad Plauti Men. v. 143 (139 R).

19) Andr. 974 et Hec. 627.

20) ll. praebent iustis metri rationibus obstans initium versus: „*Cui aeque*".

quispiam usus illa Bentlei coniectura pronominum locis mutatis scribere malit:

Quicquam *aéque audisti cómmode* **cuiquam** *évenisse?* ‖ *Núlli*

et ad hanc transpositionem sustentandam nescio an quid valeat, quod Bembini prima manus exhibet COMMODE CUIQUAM[21]). At mihi neutrum satis placet atque alio modo traditae scripturae succurrendum puto: una enim litterula „*i*" inserta post primam versus voculam evadit dativi forma „*quoii*" (=*quoiei*), quam quidem formam inscriptiones[22]) usque ad medium fere septimum saeculum satis tuentur et hasce ob inscriptiones iam Buechelerus[22]) monuit vix iure Ritschelium olim[23]) formam bisyllabam dativi a Plauto prorsus abiudicasse. Neque hoc negari poterit Brixium[24]) eiusmodi formis in textum receptis multo lenius quam alios criticos correxisse complures Plauti locos, id quod me commovit, ut Terentium quoque hoc dativo „*quoii*" — temporis enim rationes minime obstant — usum esse statuerem idque eo magis, postquam eundem Brixium[25]) censere vidi hoc ipso Terentiano loco, de quo agitur „fortasse" agnoscendam esse illam formam. Itaque noster versiculus meo quidem iudicio sic optime evadit:

Quoii aéque audisti cómmode quicquam évenisse? ‖ *Núlli.*

3) Phorm. 952 (V, 8, 59):

Quo pácto aut unde **hic haéc**[26]) *rescivit?*

Hoc modo ut pronomina cum libris BCDP collocem eo magis adducor, quod tum quidem, cum binorum eiusdem

---

21) „*quicquam*" effecit corr. rec. cum rell. ll.

22) cf. Neue l. l. II² p. 228 et Buecheler Lat. Dekl. p. 59 (=§ 296² p. 117 sq.).

23) proll. ad Trin. p. CLXXI; postea autem idem vir doctus agnovit longiorem illam formam cf. Trin.² vv. 358. 558 et not. crit. ad v. 604.

24) in adnott. ad Trin. 358 et Mil. 351.

25) v. notam ad Mil. 351.

26) edd. adhuc omnes, quantum video, Bembini ordinem pronominum „**haec hic**" protulerunt.

pronominis casuum alter alterum nullo vocabulo interiecto excipit, nusquam[27]) sollemnis ordo violatur. Quod quo minus dubitari possit, similia quaedam exempla, ubi cum adiectivorum tum substantivorum bini casus inter se conectuntur, hic afferre mihi liceat

nominativus praemittitur hisce locis: Andr. 779 (*Alia aliam*)[28]); Eun. 987 et Haut. 598 (*aliud ex alio*); Eun. 579 (*solus cum sola*); Hec. 350 (*sola soli*); ib. 557 (*solus solum*)[29]); Haut. 394 (*utrique ab utrisque*); Phorm. 800 (*uterque utrique*); Eun. 445 (*Par pro pari*); Phorm. 212 (*par pari*); Ad. 668 (*praesens praesenti*)[30]); Phorm. 726 (*Mulier mulieri*);

accusativus ante ceteros casus obliquos ponitur: Eun. 631 (*aliam rem ex alia*); Phorm. 115 (*Bonam bonis*); Andr. 646 (*animum ex animo*); Phorm. 212 (*verbum verbo*); Ad. 11 prol. (*verbum de verbo*).

4) Ad. 967 (V, 9, 10):

Póstremo hodie **in** *psáltria* **hac** *emúnda* **hic** *adiutór fuit.*

Sic plurr. edd. exhibent cum ll. DG, rell. codd. praeter Bembinum, in quo huius versus nihil superest nisi unica nota A, praebent „*istac*“[31]) neque Bentleium, qui scripsit

Póstremo hodie in psáltria ista emúnda hic adiutór fuit,

erravisse in emendando mihi persuasi, cum praesertim ut in Plauti libris haud ita raro[32]) pronomina „*iste*“ et „*hic*“ inter se mutata esse constat sic in Terentianis quoque libris idem factum esse uno alterove loco statuere vix audacius videatur.

---

27) cf. ex locis modo enumeratis Andr. 772; Eun. 269 622; Haut. 605 781; Phorm. 304 635 779; Hec. 161.

28) de Plautinis qui huc spectant versibus cf. Kiesslingium in Mus. Rhen. vol. XXIII. p. 411 sqq.

29) hanc codicum BCDEFP et Donati (bis!) lectionem praefero Bembini „*solum solus*“; cf. Pl. Trin. 153 „*solus solum*“ et Capt. 600 „*solus te solum*“

30) in hac et librorum et Donati scriptura acquievit U., neque Bentl., cui assentitur Fl., mihi persuasit dativum sententiae causa mutari oportere in accusativum.

31) hoc idem legitur in Donati lemmate.

32) exempla v. ap. Brixium in adnot. crit. ad Mil. v. 472.

In paucis qui restant Terentianis versibus cur usitatus ordo neglectus sit, facillime perspicitur, ita ut fusius his de locis disserere opus non videatur. Ac primum quidem ob logicas rationes i. e. quoniam praemissi pronominum casus obliqui respiciunt ea, quae proxime antecedunt, hice versus non praebent cur quid mutemus.

Andr. 215 (I, 3, 10):

Ad haéc *mala* **hoc** *mihi accédit etiam.*

Multa maiori vi mihi haec dicta videntur quam si quis scribere malit „*Ad istaéc*“ [33]), de qua coniectura sane per se facile [34]) cogitari potest.

ib. 799 IV, 5, 4):

Eius *mórte* **ea** *ad me lége redierúnt bona.*

ib. 918 (V, 4, 15):

Ní metuam patrem hábeo **pro illa** *re* **íllum** *quod moneám probe.*

Eun. 3 (prol.):

In hís *poeta* **hic** *nómen profitetúr suom.*

Haut. 600 sq. (III, 3, 39 sq.):

fuít quaedam anus Corínthia
Híc: **huic** *drachumarum* **haéc** *argenti mílle dederat mútuom.*

Sic cur Umpf. [35]), qui alioqui religiosissime Bembini vestigia sequitur, cum libris ex Calliopii recensione derivatis scripserit, equidem non intellego cumque eis facio, qui secundum Bembini auctoritatem illud „*Hic*“ in initio alterius versus omittentes haec praeferunt:

---

33) hanc formam pro vulgari „*ista*“ saepius ap. scriptt. latt. inveniri exemplis satis superque confirmat Neue l. l. II² p. 212; e Terentii fabulis huc pertinent Andr. 921; Phorm. 77; Ad. 275.

34) cf. quae modo dicta sunt de Ad. 967.

35) priorr. quoque edd. incipiunt versum 601 a vocula „*Hic*“ et nuper denuo Conradtius l. l. p. 67 hoc loco, ut similem quandam collocationem in Adelph. vv. 331 sq. sustentaret, exemplo usus est, sed nihilo setius hic idem v. d. maxime esse suspectum huius versus initium concedit.

Huíce *drachumarum* **haéc** *argenti mílle dederat mútuom.*[36])

ib. 997 sq. (V, 2, 44 sq.):

nám quam maxime **huíc** *vana* **haec** *suspício*
Erit tám facillumé patris pacem in léges conficiét suas.

Verba prioris versus, quae Geppertus non sine magna probabilitate ex, eis quae in Bembino [37]) legi possunt, elicuit, recc. edd. receperunt neque equidem pronomina „*huic*" et „*haec*" transponere ausim, cum adiectivum „*vana*", quippe quod praedicativo sensu hoc loco adhibeatur, tolerari non posset interiectum inter „*haec*" et „*suspicio*".

Ad. 227 (II, 2, 19):

perii hércle: **hac** *illi spe* **hóc** *inceperúnt.* ‖ *Timet.*

Ibi non solum accusativus „*hoc*" artissime cohaeret cum verbo „*inceperunt*" sed posuit etiam consilio, ut videtur, poeta formam „*hoc*" ter (in vv. 225 226 227) in arsi versus.

Huc accedunt duo loci, ubi binorum eiusdem pronominis casuum alter cum altero verbo coniungi debet:

Hec. 246 (II, 2, 4):

Atque éccum Phidippum óptime video: **hínc** *iam scibo,*
hoc *quíd sit.*

Hanc sanam interpunctionem non habes, quantum scio, nisi apud Beckerum [38]).

Ad. 652 (IV, 5, 18):

Huic *léges cogunt núbere* **hanc.**

Denique

Ad. 974 sq. (V, 9, 17 sq.):

Et quidem tuó nepoti **huius** *fílio*
Hódie prima mámmam dedit **haec.**

ob eam causam vix ullam praebet offensionem, quod verba „*huius filio*" appositionis loco ponuntur.

---

36) Ritschelium, qui opusc. II. p. 469 sqq. primus hanc versus formam protulit, secuti sunt Fl. et Wagn.

37) de rell. ll. scriptura, quoniam prorsus diversa est, hic locus non videtur ut dicamus.

38) l. l. p. 190; adhuc vv. dd. inde a voce „*video*" ad finem usque versus nullum interrogationis signum posuerunt.

Caput III.

In ea quoque materia, de qua hoc in capite disputandum erit, idem Seyffertus, cuius iam supra (p. 2) mentionem fecimus, primus normam quandam a poetis comicis observatam esse statuit. Sed legem illam, quam proposuit de collocatione pronominum „*egomet*, *tute* . . .“ ut iam in pronominibus personalibus tractandis nimis artis finibus circumscriptam vidimus sic his quoque exemplis, de quibus nunc sermo erit, satis demonstrabitur multo latius patere.

Ordiamur igitur protinus ab enumerandis illis locis, ubi **nominativus pronominis personalis positus est ante reliquos pronominum possessivorum casus:**

Andr. 289 655 658 921. **Eun.** 196 (*quando* **ego** *sum* **tuos**)[1]) 312 798 886 1024. **Haut.** 106 134 191 385 491 686 783 1006 sq. 1016. **Phorm.** 431 sq. 520 587[2]) 849 928 948 sq. 1048[3]). **Hec.** 42 (prol.) 243 292 524 559[4]) 763. **Ad.** 47 sq. 107 (*et tu illúm* **tuom**)[5]) 163 165 395[5]) 563 701 (*ni magis te quam óculos nunc* **ego** *amó* **meos**)[6]) 770 797 sq. (bis) 802 809 980.

His locis, quos modo protuli, statim adnectere mihi

---

1) binorum igitur nominativorum si coniunguntur pronomen personale praecedit. cf. praeter hunc locum Phorm. 587; Hec. 524; Ad. 770.

2) de insolita collocatione „**meorum-meus**“ iam supra p. 32 dictum est.

3) quam ob causam librorum scripturam „**Tú tuum** *nomen e. q. s.*“ amplectar, v. p. 13.

4) „*récte* **ego** *consuluí* **meae**“ vulgo legitur cum ADG et Donato; Bentl. solus rell. ll. secutus exhibet „*recte consului meae*“.

5) sic recte U. et Muellerum: Nachträge p. 46 cum A scripsisse puto neque dubito etiam in simillimo versu 395 h. f. eandem collocationem „*vero* **tu** *illúm* **tuom**“ praeferre vulgatae „*vero illum* **tú tuum**“, quoniam ibi quoque ll. DG praebent priorem et in A nom. „*tu*“ plane deest; et Bentl. et Fl. in utroque versu (U. in posteriore tantum) amplectuntur scripturam „*illum* **tu tuom**“.

6) sic optimo iure edd. invitis et Bembino et Donato, qui omittunt nominativum „*ego*“ cum rell. ll. scripsisse nuper denuo docuit A. Luchsius in „Studem stud.“ p. 64.

liceat eos versus, in quibus **accusativus pronominis personalis praemittitur casibus obliquis pronominum possessivorum.**

Andr. 241 sq. (*qui dénegarat* **sé** *commissurúm mihi Gnátam* **suam**)[7]) 289 616 sq. 689 975. **Eun.** 31 sqq. (prol.) 383 sq. 863 886 1070 1084 sq. **Haut.** 106 147 sq. 351[8]) 401 407 sq. 463 479 623 772 810 sq. (*Ut* **té** *quidem di deaeque ómnes quantumst* **cúm tuo,** *Syre, istóc invento cúmque incepto pérduint*)[9]) 942. **Phorm.** 74 199[10]) 213 217 366 466 672 722 839 860 931 sq. 948 sq. 959. **Hec.** 53 (prol.) 89 sq. 119 384[11]) 562 (*Quam ób rem incendor íra, esse ausam fácere haec* **te** *iniussú* **meo**)[12]) 582 sq. 592 sq. 677 sq. 763. **Ad.** 160 250 333[13]) 408 sq. 597 713 sq. 892 918.

Nunc ex eis versibus, quos normas illas duas impugnare apparet, primum quidem eos tractare placet, ubi poetam

---

7) is accusativus, qui efficit subiectum constructionis accusativi c. inf. hic et Haut. 479 772 942; Phorm. 199 366 466 839 959; Hec. 89 sq. ponitur ante accusativum obiecti.

8) sicut hic etiam Phorm. 217 duo accusativi particula „*et*“ (Phorm. 931 sq. particula „*aut*“) inter se coniunguntur.

9) hanc scripturam equidem amplector cum Fl. et Wagn.; contra U. partim Guyeti et Bentlei lectionem „*di deae*“ pro traditis„ *di deaeque*“ recipiens partim Bembini, ut videtur, auctoritatem secutus sic duos illos versus conformavit: *Ut té quidem omnes dí deae quantum ést, Syre, Cum istóc invento cúmque incepto pérduint.*

10) hic versus minoris est momenti, quoniam vix recte unus U. voculam „*et*“ a Bembini prima manu traditam agnovit inter „*me*“ et „*patruom*“; vereor ne rectius sic legatur „*Huius patrem vidisse me, patruom tuom*“.

11) cf. simillimum Phormionis v. 959; accusativus „*te*“, quem prima Bembini manus sola omisit, et sensu flagitatur et apud omnes legitur edd.

12) sic lego cum Fl. et U. (inter priorr iam Faernus idem proposuit); Bentl. eiecto infinitivo „*esse*“ scripsit „. . . *ira* **te** *ausam facere haec iniussu* **meo.**“

13) non solum in hoc sed etiam in duobus qui antecedunt versibus (331 sq.) Umpfenbachium traditos octonarios iambicos rectissime servasse nuper docuit Conr. l. l. p. 65 sqq.

diversas ob causas usitatum horum pronominum ordinem violavisse haud difficile est intellectu:

a) binorum pronominum alterum ad alterum pertinet verbum:

1) Haut. 389 (II, 4, 9):

Quíppe forma impúlsi **nostra nós** *amatorés colunt.*

2) ib. 940 (V, 1, 67):

Dúo talenta **pró** *re* **nostra ego** *ésse decreví satis.*

3) Hec. 239 (II, 1, 42):

Tuós *esse* **ego** *illi móres morbum mágis quam ullam aliam rem árbitror.*

Optimo igitur iure edd. nominativum „*ego*", quamquam eo omisso neque sensus metrum periclitatur, cum Bembino[14]) et Donato acceperunt.

4) ib. 538 sq. (IV, 1, 23 sq.):

Nám negabas núptam posse fíliam **tuam té** *pati.*
Cúm eo qui meretrícem amaret.

b) logicis rationibus Terentius videtur adductus esse, ut neglegeret sollemnem collocationem:

1) Andr. 609 (III, 5, 3):

Sérvon fortunás **meas**[15]) **me** *cómmisisse fúttili!*

2) Haut. 315 (II, 3, 74):

Hóc vide: **in mea** *víta* **tu** *tibi laúdem is quaesitúm, scelus?*

Hunc versum malit fortasse quispiam illis addere, quos sub a) modo attuli, sed simillimus est huic loco

3) Ad. 398 (III, 3, 44):

Vigilántiam **tuam tú** *mihi narras?*

quorum alterum altero satis defendi iudico, ita ut neque in altero neque in utroque pronomina transponere ausim.

4) Haut. 1034 (V, 4, 11):

crede et **nóstrum te** *esse crédito.*

5) ib. 1037 (V, 4, 14):

---

14) „*ego*" deest in BCEFP.

15) sicut hoc in versu saepius pronominis possessivi casus obliquus, qui praecedit, in arsi ponitur: cf. Haut. 1034 1037; Phorm. 849; Hec. 302 675; Haut. 315 (*in mea*); Ad.. 607 (*Propter suam*).

Pátiar, Clitiphó, flagitiis **tuís me** *infamem fieri.*

6) Phorm. 849 (V, 6, 9):

Pérgit hercle: númquam tu odio **tuó me** *vinces.*

Hanc scripturam, quae codicum auctoritate et Donati testimonio nititur, habes apud plerosque edd. atque ipsa verba „*tu odio tuo*", quibus Bentl.[16]) remedio succurrendum putavit, mihi quidem aptissime dicta videntur: nam artissime haec inter se coniungenda censeo atque fere idem sibi velle quod „*tu refertissimus odio*".

7) Hec. 302 (III, 1, 22):

ita olim **suó me** *ingenio pértulit.*

8) ib. 675 (IV, 4, 53):

Ignárum censes **tuárum** *lacrimarum ésse* **me?**

9) ib. 68 2(IV, 4, 60:

Errás, **tui** *animi sí* **me** *esse ignarúm putas.*

Hoc in versu simillimo ei, qui praecedit, in illud velim animum intendas collocationem verborum „*tui animi*" ideo quoque, quod ante coniunctionem „*si*" ponuntur, eminentiorem fieri.

10) ib. 870 sq. (V, 4, 30 sq.):

dixit iúri iurandó **meo**

Sê *fidem habuisse ét propterea té sibi purgatum* || *Óptimest.*

Poetae hoc in exemplo, ut equidem arbitror, placuit collocationem chiasticam pronominum „*meo Se*" et „*te sibi*"[17]) adhibere atque accusativos „*Sé*" et „*té*" in versus arsi ponere.

11) Ad. 607 (IV, 3, 16):

Proptér suam *impoténtiam* **se** *sémper credunt lúdier.*[18])

---

16) sic Terentii verba reponit: „*Pérgin? hercle númquam hodie odio tú me vinces*". Duo autem exempla (Hec. I, 2, 48 et Pl. Rud. IV, 3, 7) quae affert, ut „*odio*" absolute usurpari demonstret vix idonea sunt, quae persuadeant; nam nostro loco quoniam additur nominativus „*tu*" res alia videtur; et vox „*hodie*" vereor ne magis speciem additamenti prae se ferat quam pronomen „*tuo*". Itaque nemo, quantum equidem scio, suadente Bentleio traditam immutavit scripturam.

17) perverse solus A exhibet SETIBI.

18) hac speciosa Bentlei coniectura, quam Fl. probavit, spreta vix eliciter U. recurrit in Bembini „*claudier*".

Iam disseramus de ceteris Terentii versibus, qui in editionibus inversa pronominum collocatione leguntur quosque corrigendos esse mihi persuasi, inprimis cum in eorum plurimis codicum scriptura ansam praebeat emendandi:

Andr. 153 (I, 1, 126):

Síne núnc **meo me** *vívere intereá modo.*

Sic quidem vulgo hic versus legitur sed haec lectio non nisi Donati testimonio stabilitur, nam libri exhibent partim „**me meo** *vivere*" (BEGP) partim „**me** *vivere* **meo**" (D). Libris igitur quoniam sollemnis ordo optime commendatur, vide num fortasse sic a poeta versum profectum esse censeas:

Síne núnc **memet meo** *vívere intereá modo.*

Phorm. 724 (IV, 5, 12):

Non sátis est **te tuom** *offícium fecisse.*

Hanc inversam pronominum collocationem quod praefero vulgatae „**tuom te**", vix cuiquam nimis audax videbor, cum praesertim in parte aliqua librorum (BCEP) accusativus „*te*" prorsus desit, qua re nescio an sententia mea aliquatenus commendetur: Nonne enim potuit multo facilius TE inter voces EST et TUOM quam inter TUOM et OFFICIUM intercidere?

Hec. 247 (II, 2, 5):

Phidíppe, etsi ego **meis me** *ómnibus scio esse ádprime obsequéntem.*

Haec edd. libros Calliopii recensionis (BCEFP) secuti exhibent, nisi quod unus Bentl., cui vix recte particula „*etsi*" suspicionem movit, hanc immutavit in „*et*" i. q. „*etiam*". Contra in rell. tribus codd. fluctuat collocatio accusativi „*me*": in A haec leguntur EGOMEISOMNIBUSSCIOME ESSE, in DG „*ego* **me meis**". Itaque haec est mea sententia a poeta ipso accusativum „*me*" prorsus omissum esse, id quod certe fieri potuit [19]). Quidni igitur scribamus?

19) e. g. cf. ex hac fabula vv. 215 235 427 436 sqq. 550; cf. praeterea exempla, quae collegit Holtze: syntaxis priscae lat. fasc. II. p. 33 sqq.

Phidíppe, etsi ego meis ómnibus scio esse ádprime obsequéntem. [20])

Eandem medelam hisce praeterea duobus locis adhibere placet:

1) Hec. 586 (IV, 2, 10):

Ego rús abituram hinc **cúm tuo me** *esse cérto decreví patre.*

Ab hac et librorum et Donati lectione Fleckeis. solus ita recessit, ut infinitivum „*esse*“ uncis includeret, sed mihi potius legendum videtur accusativo „*me*“ eiecto:

Ego rús abituram hinc cúm tuo esse certo decreví patre.

2) Ad. 879 (V, 4, 25):

'Ego quoque **a meís me** *amari et mágni fieri póstulo* [21])

Etiam hic contra librorum auctoritatem propono:

'Ego quoque a meís amari et mágni fieri póstulo.

De alio quodam Terentii loco

Hec. 592 sq. (IV, 2, 16 sq.):

Tum **tuás** *amicas* **te** *ét cognatas déserere et festós dies*
Mea caúsa nolo.

fortasse quispiam haud minus recte contenderit accusativum „*te*“, quem cogitando addere facillimum sane est, cum D¹ omittendum esse. Mihi autem particula „*Tum*“ non subditicia tantum videtur sed etiam demovisse de suo loco accusativum „*te*“, quod ut censeam ideo quoque adducor, quod, si pronomen „*te*“ loco particulae „*Tum*“ ponitur, initio utriusque versus optime inter se respondent „*Te*“ et „*Mea.*“ Itaque hunc locum ad normam illam de pronominum ordine restituere mihi videor scribendo:

Te tuás *amicas ét cognatas déserere et festós dies*
Mea caúsa nolo.

Iam supersunt hi duo loci, ubi vel omnibus vel optimis

---

20) ne quis propter vocativum „*Phidippe*“ incertum putet esse, num accusativus „*me*“ vel „*te*“ mente addendus sit, hunc versus qui sequitur verba edoceant.

21) sic U. cum A¹; vulgo legitur finis huius versus „*magni pendi dostulo.*“

libris invitis inversa pronominum collocatio exstat in editionibus:

1) Ad. 749 (IV, 7, 31):

Ita mé di ament ut vídeo **tuam ego** *inéptiam*

Sic exhibent edd. cum ll. BCEFP; cod. A praebet DIB ENEAMENT et EGOTUAM; codd. DG „*di ament*“ (cum rell. ll.) et „*ego tuam*“ (cum A); Donatus in lemm. „*Ita me di ament ut* **ego** *video* **tuam** *ineptiam.*“ In Bembini lectione quominus acquiescamus, nos prohiberi apparet ea re, quod iusti metri fines ibi negleguntur, neque quisquam in ea aliquid mutandum esse non videt. Et siquid equidem video, prior versus pars secundum Bembinum servanda est, at in posteriore nominativus „*ego*“, qui et in ll. et apud Don. variis versus locis tradatur, melius omittitur idque ita ut leniter mutato ordine verborum sic versiculum reponendum censeam:

Ita mé di bene ament, út tuam video inéptiam

2) ib. 946 (V, 8, 23):

Meritó **tuo te** *amo. Vérum* || *Quid?* || *Ego dícam hoc cum fit, quód volo.*

Hunc versum, cuius verba Bentleius sic inter singulas personas distribuit, amplexus est Fleckeis. et in universum haec eadem habes in ll., nisi quod v. d. pronomen „*tuo*“ ante accusativum „*te*“ ex suo adiecit, ne versus trochaicus inter iambicos esset. Sed hunc feliciter illud pronomen „*tuo*“ contra libros scriptos assumpsisse vix concedes, si alios Terentii locos contuleris velut Andr. 574 „**Meritó te** *semper máxumi fecí*“ et Eun. 186: „**Mérito te** *amo, béne facis*“ (simillimus sane Adelphorum versui, de quo agitur). Nihilo autem setius quoniam vocabulo quodam opus est, ut iambicus octonarius efficiatur, neque melius quidquam mihi praesto est, quam facillima coniectura Mureti, qui pronomen „*quid*“ geminavit, non habeo cur versum, qualis apud Umpf. legitur, damnem:

Meritó te amo || *Verúm quid? quid ego dícam hoc cum fit, quód volo?*

Postremo unum locum

Ad. 712 (IV, 5, 78):

Sed césso ire intro, né morae **meis** *núptiis* **egomét** *siem?*

non tam cum Seyfferto [22]) hoc modo immutaverim

Sed césso ire intro né morae **egomêt meis** *nuptiís siem?*

— cum hiatus inter voces „*morae*“ et „*egomet*“ quomodo excusari possit, mihi non perspiciatur — quam sic rescribere in animo est:

Sed césso ire intro, né **egomet** *moraé* **meis** *nuptiís siem?* [23])

Hoc in capite etiam de eis versibus, in quibus vice versa vel nominativus vel accusativus pronominis cuiusdam possessivi structura coniungitur cum casu obliquo pronominis cuiusdam personalis, disserere mihi olim proposueram; sed quo saepius eos ipsos locos perlustrabam, eo magis in illam veniebam sententiam his quidem in versibus certas quasdam normas statui non posse, nisi quis semper ad summas refugeret argutias.

Itaque his locis neglectis protinus ad ea transgredi mihi liceat, quae in ultimo capite me tractaturum supra promisi.

Caput IV.

Aliquot sunt anni, postquam Ritschelius, cum disputaret [1]) de Plautini Militis Gloriosi argumento acrosticho, ad versus quarti verba „*eidem illi*“ contra Pyladis inversionem „*illi eidem*“ hoc posuit (l. l. p. 418) comicis poetis esse usitatum morem loquendi **praemittere „idem“ cum pronomine demonstrativo iunctum non postponere.**

Sed ibi quoniam praeceptor clarissimus sententiam suam exemplis quibusdam ex Plauto et Terentio allatis adum-

---

22) in philol. vol. XXV p. 461.

23) nuper etiam hoc fortasse optimo iure monuit Conr. l. l. p. 68 sq. cum Guyeto et Bentleio formam monosyllabam „*sim*“ praeferendam esse libris traditae „*siem*“, ut hic quoque versus, sicut priores quinque sunt, iambicus septenarius fiat.

1) in prooemio indicis scholarum hibernarum Bonnensium a. 1851—52 = opusc. philol. II. p. 400—422.

bravit magis quam ipsum exemplorum numerum exhausit, iam operae pretium videtur collectis omnibus, nisi unus alterve oculos meos fefellit, locis Terentianis paulo accuratius inquirere, quo illud iure Ritschelius de nostro quidem poeta statuerit. Atque hoc ut statim praemoneam, meo iudicio ex ipsis exemplis optime firmatur virum doctissimum recte illud observasse.

1) „*idem*" coniungitur cum pronomine „*hic*":

Andr. 578 (III, 3, 46):

Num cénses faceret, fílium nisi scíret **eadem haec** *vélle?*

ib. 599 (III, 4, 20):

Ibo ád eum atque **eadem haec** *tíbi quae dixi, dícam itidem illi* || *Núllus sum.* [2])

ib. 930 sq. (V, 4, 27 sq.):

Eadem haéc, *Chremes*

Multi álii in Andro audívere.

In hoc versu quam viam emendandi ostendit Bentl. posteriores ingressi sunt: particulam „*tum*" inter „*Andro*" et „*audivere*", quae sententiae nihil conferat, eiecit contra libros scriptos neque prospero successu, ut equidem puto, nuper Klotzius [3]) cum Rittero denuo defendit traditam scripturam. Sed quoniam „*alii*" pronomen illis „*multi*" vel „*omnes*" praemitti solere monuit Brixius [4]), nescio an quispiam initium versus 931 sic restituere maluerit **Alií multi** *Andri audívere.* Sed mihi quidem nimia videtur tanta audacia neque minores praebet difficultates Ad. 832 (V, 3, 46):

Ad ómnia alia *aetáte sapimus réctius.*

Atque cum etiam alibi in similibus locutionibus vox

2) sic inde a Bentleio („*quae tibi*" ll.) versus vulgo legitur; cur cum Spengelio, qui in editione „*itidem*" mutavit in „*idem*" (hoc praebent C¹P et Don.?), faciam, causam non video.

3) v. eius notam ad h. v. in Andriae editione a. 1865 in lucem edita.

4) in Fleckeis. annal. a. 1870 vol. CI p. 770 sq.; cf. eiusdem notam ad Mil. Glor. v. 1040.

„*alius*" modo praemittatur[5]) modo postponatur[6]), optimum videtur vulgarem in Andriae versu lectionem retinere.

Eun. 453 (III, 1, 63):

Idem hoc *túte melius quánto invenissés, Thraso!*

ib. 783 (IV, 7, 13):

Idem hóc *iam*[7]) *Pyrrhus fáctitavit.*

ib. 810 (IV, 7, 40):

Sát hoc tibist || **Idem hóc** *tu Thais?* || *Quaére qui respóndeat.*

Sic nunc legunt versum Fleckeis. et Umpf. emisso vocabulo „*ais*", quod et ll.[8]) et Don. in lemm. praebent ante nomen proprium „*Thais*".

Haut. 164 (I, 1, 112):

Tibi párce: **idem** *absens fácere te* **hoc** *volt filius.*

ib. 329 (II, 3, 88):

Túm quod illi argentum és pollicitus, **eádem hac** *inveniám via.*

ib. 550 (III, 2, 39):

Fac érgo. || *At heus tu, fácito dum* **eadem haec** *mémineris.*

Phorm. 126 (I, 2, 76):

illos dúcere **eadem haec** *léx iubet.*

ib. 516 (III, 2, 31):

'Idem hic *tibi, quod bóni promeritus fúeris, conduplicáverit.*

Initio versus complures ll.[9]) exhibent „*hoc*", sed Bembini „*hic*" ad unum omnes edd. praetulerunt, inter quos Bentleius recte vidit „*hic*" esse nominativum pronominis non adverbium, id quod censuit Faernus.

ib. 716 (IV, 5, 4):

---

5) cf. Eun. 17 (prol.) 680; Phorm. 85 207 770; Ad. 779 925.

6) cf. Andr. 750; Haut. 987; Phorm. 301; Hec. 239; Ad. 523.

7) „*iam hoc*" male transponunt DG.

IDEMHOC

8) QUIDNUNCTUAISTKAIS legit W. Studem. in A; „*Idem tu hoc ais Thais*" BCDEFGP, nisi quod P „*agis*"; „*idem hoc tu ais*" Don. in lemm.

9) „*hic*" D; „*hoc*" BCEFP.

ét matura, dúm libido **eadem haéc** *manet.*

ib. 888 sq. (V, 7, 5 sq.):

Nam **idem hóc** *argentum ita út datumst, ingrátiis Ei dátum erit.*

ib. 901 (V, 8, 7):

De eadem hác *fortasse caúsa?*

Hec. 609 (IV, 3, 3):

Quod faciendum sit post fortasse **idem hoc** *nunc si feceris.*

Hanc complurium, inter quos etiam Bembinus, librorum [10]) et Donati scripturam habes apud recc. edd., ita tamen ut alter horum, Fleckeis., totum versum uncis inclusit, alter, Umpf., hoc signo inter „*fortasse*" et „*idem*" addito se quoque in huius versu scriptura offendere ostendit. Iam nuper Conradtius (l. l. p. 185 sq.) accurate hoc de versu disputavit atque sententiae inprimis difficultatibus, quantae insint in hoc versu, recensitis hunc suasit octonarium trochaicum, ut sit eorundem numerorum atque respondens v. 615:

Quód faciendum sít post fortasse, **ídem hoc** *nunc fecerís* [*tua sponte*].

Sed nescio an cum Fleckeiseno [11]), qui in universum sane Conradtio assentitur, leniore adhibita medela sic potius legendum sit:

Quód faciendum sít post fortasse, **ídem hoc** *nunc fecerís si* [*c ultro*].

Ad. 751 (IV, 7, 33):

Cur nón? ‖ *Et nova nupta* **éadem haec** [12]) *discet.* ‖ *Scílicet.*

2) pronomini „*iste*" praemittitur „*idem*":

---

10) DG soli habent mutato ordine „*sit fortasse post*" neque suo iure Bentleium et „*post*" et „*nunc*" ictu versus premi volentem hoc modo septenarium trochaicum reposuisse arbitror:

Quód sit faciundúm fortasse póst, **idem hoc** *nunc si féceris.*

11) in annal. a. 1876 vol. CXIII. p. 537.

12) DG perverse collocant „*haec eadem*"; rectum praebet ordinem Don. cum rell. ll.

Haut. 888 sq. (V, 1, 15 sq.):

id dícis? ‖ *Id* ‖ **Idem istúc** [13]) *mihi*

Vénit in mentém.

Phorm. 726 (IV, 5, 14):

Idem *égo* **istuc** [14]) *facere póssum.*

Hec. 747 (V, 1, 21):

Nám neque ille hoc animo érit aetatem, néque pol tu **eadem ísta** *aetate.*

In hoc octonario trochaico vel ob ea, quae ad versum modo laudatum adnotavimus, offendere licet, namque in fine versus hunc pronominum ordinem exspectamus „*eadem tu ista*". Sed iam satis difficilis fit quaestio et de hoc versu et de illo, qui praecedit: his enim duobus octon. troch. haud bene seriem septen. troch., quos inde a versu 743 Bentl. restituit, interrumpi Conradtius (l. l. p. 24 sqq. et p. 55 sqq.) docuit. Atque id sane ei concedendum erit certam causam inveniri non posse, cur poeta vv. 746 et 747 — antecedunt in edd. Fleckeiseni et Umpfenbachii iamb. septen. (732—742 et 745) et octon. (743—744) — octon. troch. reddiderit postea autem troch. septen. adhibuerit, neque minus recte, ut equidem arbitror, id sensit v. d. sententiarum nexu transitum ad novum metrum commendari in versu 743, inde a quo cum Bentl. septen. troch. agnoscit, ita ut Terentium usque ad versum 767 hoc metrum nusquam neglexisse statuat. Duos igitur versus, de quibus hic agitur, sic legendos censet:

Quaére alium tibi fírmiorem, cónsulendi dúm tibi

Témpust: nam neque ille hóc animo erit aetátem neque pol tú eadem.

20: „*tibi firmiorem*" D¹; TIBIAMICUM FIRMIOREM A; „*tibi firmiorem amicum*" BCD² EFP; „*dū tibi*" D; „*tibi*" omm. BCEFP 21: ERITAETATEM A, AETATEM delevit

---

13) sic recte edd. cum uno Bembino; rell. ll. „*itidem istuc*".

14) de hac sollemni apud poetas comicos collocatione „*idem ego istuc*" v. exempla, quae attulit Ritschel. l. l. p. 418.

te
corr. rec.; „*aetatem*" omm. BCDEFP; ISTAAETAS A corr. rec.; „*istac aetate*" BCDEFP.

Ad haec, quae modo de codicum scriptura adscripsi, cum addideris, quod in omnibus ll. hic exstat ordo verborum „*dum tibi tempus consulendi est*" haud leni medela versibus hisce succurrisse Conradtium intelleges, neque ullo modo mihi de eis persuasit, quae disseruit de vocibus „*ista aetate*", nam Donati verbis „*prius* aetatem *adverbium et posterius nomen*" meo quidem iudicio perlucide demonstratur in bis posito substantivo offendere nequaquam licere.

Quae cum ita se habeant, maxime gaudeo Fleckeisenum[11]) hos quoque versus, postquam septen. troch. sibi persuasit statuendos, in integrum restituere esse conatum:

Quaére alium tibi fírmiorem amícum, dum tibi témpus est.
Nám neque illi hoc animo érit aetatem, néque pol ista aetás [tibi].

Qua in scriptura hoc mihi maxime arridet, quod Fl. in fine posterioris versus ad primam Bembini manum quam proxime accessit, atque illud „*ista aetas*" i. q. „*ista tua adulescentia*" optime respondet praecedenti accusativo „*aetatem*" i. q. „*per omne tempus*"; de priore versu vereor ne alii aliter sentiant, mihi autem melior coniectura praesto non est.

Ad. 423 sq. (III, 3, 69 sq.):

et quód queo
Consérvis **ad eundem ístunc** *praecipió modum.*

Etiam „*eundem ipsum*", quae verba prima Bembini manus[15]) exhibet, per se optime Terentium scribere potuisse satis cognoscetur ex eis, quae paulo infra de collocatione pronominis „*ipse*" disputabimus; sed nostro loco hoc pronomen sententiae minus satis facere recte senserunt edd.

3) „*ille*" postponitur pronomini „*idem*":

---

llis
15) EUNDEMIPSUM A corr. rec.; Don. in lemm. cum rell. ll. **„eundem istunc".**

Haut. 678 (IV, 2, 11):

Retraham hércle opinor ád me **idem illud** *fúgitivum argentúm tamen.*[16])

Ad. 812 (V, 3, 26):

eandem illam *rátionem antiquam óbtine.*

Coniecturis tres illi loci, ubi sollemnis ordo neglegitur, tentandi videntur:

1) Hec. 754 sq. (V, 1, 28 sq.):

Eás ad mulierés huc intro atque **istuc** *ius iurándum* **idem** *Pólliceare illís.*

Pronomen „*idem*" mutandum puto in adverbium „*item*", quod haud minus aptum videtur quam „*idem*". Laches enim adhortatur Bacchidem, ut sicut modo (v. 751) se innocentem esse pollicita sit, ita mulieribus idem polliceatur. Fortasse Donati quoque testimonio stabilitur quod propono: namque ille si in exemplari suo legit „*idem*", causam dispicere nequeo, cur hisce lemmatis verbis „*Atque istuc ius iurandum*" non adiecerit pronomen „*idem*", at si eidem adverbium „*item*" ante oculos erat, necesse fuisse apparet illud omitti. Itaque sic Hecyrae locum repono:

Eás ad mulierés huc intro atque ístuc ius iurándum item Pólliceare illís.

2) Haut. 898 (V, 1, 25):

Séd **ille** *tuom quoqué Syrus* **idem**[17]) *míre finxit fílium.*

Ibi non tam eadem medela atque in exemplo, de quo modo dictum est, uti velim quam pronomen „*idem*" removere[18]) et sic versiculum restituere:

Séd ille tuos tuóm quoque Syrus míre finxit fílium.

---

16) cur sic cum Fl. et Wagn. hunc versum legi velim v. supra p. 10. sq.

17) U. num recte suadente prima Bembini manu priscam nominativi sing. formam „*isdem*" (v. perpauca exempla, quae paene omnia in inscriptionibus inveniuntur, ap. Neue l. l. II² p. 198) Terentio tribuerit, valde dubitari licet; cf. quae Ritsch. de „*idem*, *isdem*" pronominis formis disputavit in opusc. phil. vol. IV. p. 313 sqq.

18) omitti pronomen „*idem*" in cod. G quamquam non magni tamen alicuius momenti videtur esse.

Quam scripturam ut proponam non solum codicum indiciis [19]) commoveor, verum etiam aliud accedere puto, quo nitatur sententia mea: nonne optime Menedemi verba „*ille tuos Syrus*" respiciunt Chremetis interrogationem (v. 896) „*quid Syrus meus?*" Postremo eiusmodi verborum collocationes velut „*tuos tuom*" quantopere poetae comici adament, supra saepius vidimus.

3) Ad. 599 (IV, 3, 8):

Atque **ístaec eadem,** *quaé mihi dixti túte dicas múlieri.*

Hunc locum iam Ritsch. (l. l. p. 418) laudat inter pauca quae exstant contrarii generis exempla, sed neque quomodo excusari possit inusitatus pronominum ordo neque quomodo tradita verba immutari velit quidquam addit. Et quoniam profecto causa inveniri vix poterit, cur poetam hoc in versu sollemnem pronominum collocationem violavisse arbitremur, haud aliter mihi Terentii verba sanari posse videntur, quam ut statuamus initio vocem aliquam nescio an structura coniunctam cum pronomine „*istaec*" intercidisse et deinde a librario quodam, ut lacuna expleretur iustumque metrum efficeretur, falso loco additum esse pronomen „*eadem*" [20]); itaque meo iudicio sic fere Terentius scribere potuit:

Atque ómnia istaec, quaé mihi dixti túte dicas múlieri

Totam hanc viam emendandi, quam ingressus sum, quamvis haud ita probabilem esse ipse sentiam, tamen in ea acquiesco, nam quomodo facilius vitiosum ordinem **„haec eadem"** tollam, admodum incertus sum neque melius quidquam adhuc indagavi.

In pronominis „*ipse*" collocatione, de qua reliquum est ut agamus, prorsus contrariam legem Terentius secutus esse videtur atque in ponendo pronomine „*idem*". Plerumque enim **si pronomen „ipse" structura coniunctum inveni-**

---

19) TUUM A cum DE^{2}G; „*tuus*" BCE^{1}FP.

20) hoc pronomen, utpote quod ad unum omnes codd. exhibeant, iam mature in contextum verborum Terentianorum irrepere debuisse apparet.

mus cum aliis pronominibus, illud his postponitur, ita ut locutiones „*ego ipse*, *hic ipse* . . .“ plane respondeant nostri sermonis formulis „ich selbst, dieser selbst . . .“.

1) „*ipse*“ coniungitur cum aliquo *pronomine personali.*

Andr. 151 (I, 1, 124):

Tute ípse[21]) *his rebus fínem praescripstí pater.*

ib. 345 (II, 2, 8):

Te ípsum *quaero.*

ib. 533 (III, 3, 1):

Iubeó Chremetem ‖ *O* **te ípsum** *quaerebam.*

ib. 752 (IV, 4, 13):

Delíras: non **tute ípse?**

Eun. 743 (IV, 6, 5):

Tháis ego iam dúdum hic adsum. ‖ *O mí Chremes,* **te ipsum** *éxpectabam.*

Hunc octon. troch. — praecedunt quattuor versus eiusdem generis — praebent ad Bembini[22]) auctoritatem plerique edd., horum autem non dubito quin Fleckeis. nunc cum Bentl. faciat, postquam Conr. (l. l. p. 107 sq.) satis feliciter huius v. d. scripturam defendit, atque mihi quidem persuasit hunc septen. troch. (cf. v. 749) recipiendum esse:

Tháis ego iam dúdum hic adsum. ‖ *O mí Chremes,* **te ipsum** *éxpeto.*

ib. 893 (V, 2, 54):

In cógnoscendo **túte ipse** *aderis, Chaérea.*

Haut. 115 sq. (I, 1, 63 sq.):

Putávit me et aetáte et benivoléntia
Plus scíre et providére quam **se ipsúm** *sibi.*

Prior versus omissus est in Bembino a prima manu, sed corr. rec. inter lineas addidit „(*Pu*) *tavit me aetate et*

---

21) Spengelius ad verba „*tute ipse*“ (haec eadem leguntur in h. f. versu 752; Eun. 893; Hec. 784) ex Haut. 374 haud inepte laudat formam „*tutemet*“ (rectius „*tutimet*“ cf. Ritsch. op. II p. 567); sed nescio an rectius conferas Phorm. 222: „**nosmet ipsos**“; Ad. 628: „**egomet ipse**“.

22) rell. ll. in fine versus habent „*expecto*“.

sapientia", quae verba, ut versum efficerent, sic ordinavit Fleckeis.

Aetáte me putávit et sapiéntia.

atque eum secutus est Wagn. „*benivolentia*" vocem hic locum habere negans. Sed iam recte vidit, ut equidem censeo, Bentl. „*benivolentia*" referendum esse haud minus ad „*providere*" quam „*aetate*" ad „*plus scire*" neque Umpf. in eo errasse videtur, quod priorr. edd. lectionem, qualem habes in rell. codd., denuo amplexus est.

ib. 165 sq. (I, 1, 113 sq.):

Non cónvenit, qui illum ád laborem hinc pépulerim [23])
Nunc **me ípsum** *fugere.*

ib. 622 (IV, 1, 9):

Ehem mí vir. ‖ *Ehem mea úxor.* ‖ **Te ipsum** *quaéro.* ‖
Loquere quíd velis.

ib. 758 (IV, 5, 10):

Quid ést? ‖ **Te** *mi* **ipsum** *iám dudum optabám* [24]) *dari.*

Hic versus, quem iam Faernus sic scripsit, etiam in recc. edd. legitur, quamquam de priore versus parte Bembini [25]) vestigia satis sunt incerta. Ad hanc optimi libri scripturam olim locum sanare conatus sum idque ita ut in lacuna illa adverbium „*obviam*", quod rectissime Wagn. (coll. Ad. 311) mente supplendum esse monuit, intercidisse statuerem. Sed cum alia quoque contra libros scriptos mutari deberent, ut hic versus evaderet:

Quid est? ‖ *'Obviam* **te ipsúm** [26]) *mihi dudum optó dari.*

---

23) „*hinc pepulerim*" rectissime divinasse Bentleium pro tradito „*impulerim*" nunc vix quisquam erit qui neget.

24) sic solus cod. A; rell. ll. exhibent „*exoptabam*", ad quam lectionem propius accedens Bentl. reposuit „*Quid ést?* ‖ **te** *mi* **ipsum** *iám dudum exoptó dari*"; cf. huius v. d. notam ad Andr. I, 4, 1 (228).

25) Post Syri notam sex fere litterae erasae sunt in A (EKEM tinctura adhibita legit W. Studem.) tum TEIPSUM (sic U. in nota crit.).

26) haec collocatio pronominum „**te ipsum**" nullo vocabulo interiecto optime sane quadrat ad reliquos locos, de quibus nunc sermo est, et fortasse ut hanc servet, alii contingit leniore medela versui succurrere.

nunc mihi ipsi magis placet acquiescere in usitata lectione.

ib. 844 (IV, 8, 3):

Ut errat || **Te ípsum** *quaerebám*, *Chremes.*

ib. 969 (V, 2, 16):

Sátius est quam **te ípso** *herede haec póssidere Bácchidem*

Phorm. 222 (I, 4, 44):

Id **nósmet ipsos** *fácere oportet Phaédria.*

ib. 472 (III, 1, 8):

Te ipsúm *quaerebam.*

Hec. 254 sq. (II, 2, 12 sq.):

Aut éa refellendo aút purgando vóbis corrigemus
Te *iúdice* **ipso.**

Sic hunc locum plurr. praebent edd. ad librorum fidem neque suo iure unum Bentleium hoce modo verba prioris versus immutavisse

Aut éa refellendó tibi aut purgándo corrigémus

docuit Godofr. Hermannus [27]).

ib. 260 (II, 2, 18):

Quem ego íntellexi illam haúd minus quam **se ípsum** *magnificáre* [28])

ib. 692 (IV, 4, 70):

Mene? || **Te ípsum:** *et facis iniúriam.*

ib. 748 (V, 1, 22):

Quís id ait? || *Socrús?* || *Men?* || **Te ipsam:** *et fíliam abduxít suam.*

Haec habet Umpf., Bembinum secutus, contra rell. edd. codicum BDEP scripturam praetulerunt:

Quís id ait? || *Socrus* || *Méne?* || **Te ipsam:** *et fíliam abduxít suam.*

---

27) elem. doctr. metr. p. 153; etiam Kraussius (l. l. p. 548) hunc versum, qualis traditur agnovit et eis adscripsit, ubi Terentius usus est caesura secundaria in medio pede quinto.

28) Bentl. vix recte scripsit cum ll. deterioris notae (BCP) „*magni facere*"; „*magnificare*" egregie tuentur primae manus codicum ADF.

Metro cum utraque versus forma satisfaciat, difficile est ad diiudicandum utra sit genuina; sed vide ne indiciis librorum C („*mane*“ corr. C²) et F („*mene*“ ex „*mone*“) demonstretur ea, quae vulgo leguntur, esse probabiliora.

ib. 784 (V, 2, 18):

Quid mihi ístaec narras? án quia non **tute ípse** *dudum audísti?*

Hanc librorum [29]) scripturam, in qua iam Faernus offendit, G. Hermannum [30]) haud recte defendisse apparet ex eis, quae Kraussius disputavit de iambicis apud Terentium tetrametris [31]). At versus ille, quem hic v. d. ipse quidem satis dubitanter suasit:

Quid mi ístaec nárras stúdia? non **tute ípse** *dudum audísti?*

mihi non magis arridet quam ea, quae Fleckeis. et Umpf. exhibent:

Quid mihi ístaec narras? án quia non túte dudum audísti?

Equidem acquiesco in ea versus forma, quam Bentl. (coll. Plaut. Pers. V, 2, 69) leni correctura sic posuit:

Quid mi ístaec narras? quiane non **tute ípse** *dudum audísti?*

ib. 851 (V, 4, 11):

Nám neque in nuntió neque **in me ipso** *tíbi boni quid sít scio.*

Ad. 81 (I, 2, 1):

Ehem opportúne: **te ipsum** *quaérito.*

ib. 266 (II, 4, 2):

Nihil vídeo || Ehem opportúne: **te ipsum** *quaéro: quid fit Ctésipho?*

ib. 321 (III, 2, 23):

---

29) haec pauca obstant: „*istaec mihi*“ DF; NARRASQUIA A, „*an*“ add. corr. rec.

30) elem. doctr. metr. p. 156 et epit. p. 57.

31) in Mus. Rhen. vol. VIII p. 531 sqq.; cf. inprimis p. 543 sq.

Quisquis es, sine me ‖. *'Ego sum Sostrata* ‖ *'Ubi east?* **te ipsam** *quaérito.*

Fleckeis. ut hunc versum ei, qui antecedit (320), parem i. e. octon. iamb. redderet, interiectionem „*hem*", quam ll. in fine prioris versus ponunt, in initium versus 321 transtulit, at non feliciter eum a tradita scriptura recessisse mihi persuasit Conradtius (l. l. p. 65).

ib. 461 (III, 4, 15):

Iubeo ‖ *'Oh* **te** *quaerebam* **ípsum.**

ib. 608 (IV, 3, 17):

Quaprópter **te ipsum** *púrgare ipsi córam placabílius est.*

ib. 628 (IV, 4, 20):

'Egomet rapui: **ipse égomet** *solví argéntum: ad me abductást domum.*

In hoc quoque versu sollemnem ordinem servari a poeta intellegemus, dummodo interpunctione paululum mutata sic scribamus:

'Egomet *rapuí* **ipse:** [32]) *égomet solvi argéntum: ad me abductást domum.*

Nonne iam multo concinniora fiunt omnia, cum singula versus membra incipiunt a vocibus „*Egomet*", „*egomet*", „*ad me*"?

ib. 690 (IV, 5, 56):

Quíd fieret: qua fíeret: si **te** *mi* **ípsum** *puduit próloqui.* [33])

Quod attinet ad pronominum ordinem nescio an rectius, quamvis codd. obstent, secundum Donati lemma hic praeferatur versus:

Quíd fieret? qua fíeret? si **te ipsúm** *mihi* [34]) *puduit próloqui.*

---

32) sicut hic etiam in v. 461 h. f. verbo separantur bina pronomina.

33) „*puduit proloqui*" Fl. et U. cum A; priorr. edd. cum rell. ll. et cum Donato „*puduit dicere.*"

34) hanc eandem pronominum collocationem habes iam in edd. ante Bentl. in lucem prolatis et apud Klotzium.

Qua oblata occassione statim breviter dicatur de uno versu, quem inter recentiores solus Umpf. ad Bembini [35]) fidem sic scripsit:

Eun. 566 (III, 5, 18):

Cum **ipsúm me** *noris quam élegans formárum spectatór siem?*

Iam Bentl. spreta Bembini lectione, quae ad illud usque tempus erat usitata, sic mutavit versus initium „*Cum me ipse*", quam coniecturam nunc vel ob illud defendere non ausim, quod A. Luchsius [36]) nuper satis luculenter exposuit illis locis, ubi „*ipse*" iungitur cum pronomine reflexivo, nominativi formam „*ipsus*" non „*ipse*" a poetis comicis usurpari solere.

Itaque Ed. Beckerus (l. l. p. 252) cum Luchsio legit „*Cum me ipsus*", mihi autem ea magis arrident, quae apud Fleckeisenum exstant: „*Cum ipsus me*", quam scripturam etiam Conradtius (l. l. p. 165 sq.) probavit, nisi quod praeterea in fine versus lenissimam fecit correcturam, ita ut respondens versui 557 hic evaderet septen. troch.:

Cum ipsús me noris, quam élegans formárum spectatór sim?

2) „*ipse*" additur alicui *pronomini demonstrativo.*

Andr. 350 (II, 2, 13):

'Istuc ipsum ‖ *Atque* **ístuc ipsum** *nihil periclist: mé vide.*

ib. 495 (II, 2, 15):

Certe hércle **hic ipsus** *sé nunc fallit haúd ego.*

Sic fortasse rectius Meissnerus praebet suadente Luchsio (l. l. p. 47) quam vulgo cum Donato [37]) editur:

Certe hércle nunc **hic** *se* **ípsus** *fallit, haúd ego.*

In utraque autem scriptura id mihi displicet, quod pronomen reflexivum vocula interposita a verbo suo secernitur; vide igitur ne illud, quod accusativus „*se*" diversis

---

35) „*me ipsum*" BCEFP et Don. in lemm.

36) in Studem. stud. fasc. I p. 46 sq.

37) „*nunc* //// *se ipsus*" ID; „*nunc ipsus se*" (om. „*hic*") BCEP.

locis traditur in libris, documento sit sic fere genuinam versus formam esse:

Certe hércle nunc **hic ípsus** *fallit se haúd ego.*

Eun. 358 (II, 3, 67):

'Istunc ipsum || *Homó quatietur cérte cum donó foras.*

ib. 564 (III, 5, 16):

Istam ípsam || *Sic comméminerαm.*

ib. 770 (IV, 6, 32):

Périi, **huic ipsi** *est ópus patrono, quém defensorem paro.*

ib. 908 (V, 2, 69):

Id ípsum || **Id ipsum?** *vírgo vero!* || *I praé, sequor.*

Haut. 313 (II, 3, 72):

'Ad patremne? || **Ad eum ípsum** || *O hominis ímpudentem audáciam* || *Heus.*[38]

ib. 779 (IV, 5, 31):

Id ípsum || *At ego illi néque do neque despóndeo.*

ib. 851 (IV, 8, 10):

Ea *rés nunc agitur,* **ípsa** || *Quid narrás, Chremes?*

Phorm. 753 (V, 1, 26):

Harúm qui est dominus aédium? || *Antiphónin?* || *Em,* **istic ípsi.**

ib. 1011 (V, 9, 22):

Démipho, te appéllo: nam **cum hoc ípso**[39] *distaedét loqui.*

Hec. 560 (IV, 1, 45):

Sí quidem **ille ipse** *nón volt et tu sénsti in eo esse Mýrrhina.*

Ad. 78 (I, 1, 45):

Sed éstne **hic ipse,** *dé quo agebam?*

„*ipse*" Umpf. cum A; ceteri „*ipsus*" cum rell. ll.

ib. 139 (I, 2, 59):

---

38) de hoc septen. troch. cf. Conr. l. l. pp. 5 14 sq. 23 sq. 40 sq.

39) sic scribunt recc. edd. (Fl. U. Dziatzko) cum prima Bembini manu; haec enim libris traduntur: NAMCUMKOCIPSO A, „*me*" add. (me supra scr.) IPSO sustulit corr. rec.; „*nam me cum hoc ipso*" BCDP. Bentl. accusativo „*me*" recepto reposuit: „*Démipho, te appéllo: nam me cum ísto distaedét loqui.*"

Cum ita út volo est: **istê** *tuos* **ipse** *séntiet.*

Fortasse rectius hoc in versu „*ipse*“ iungitur cum pron. poss. „*tuos*“, sed tam arte haec tria pronomina „*iste tuos ipse*“ cohaerent, ut locum illum hic afferre mihi liceat.

ib. 172 (II, 1, 18):

Istúc *volo ergo* **ipsum** *éxperiri.*

ib. 627 (IV, 4, 19):

'Ipsum id *metuo ut crédant.*

Sic scribunt, quantum scio, omnes edd. et eodem fere consensu codd.[40]) hoc commendant. At nihilo setius arbitror in hoc exemplo, quod obstat, usitatum ordinem leni transpositione sic restituendum esse:

'Id *metuo* **ipsum** *ut crédant.*

Neque magis in duobus aliis Terentii locis contra librorum auctoritatem eam quam exspectamus pronominum collocationem efficere dubito; habes hic duos illos versus:

Andr. 312 (II, 1, 12):

Hunc ípsum[41]) *orabo, huic súpplicabo.*

Phorm. 508 (III, 2, 23):

'Istuc mi ipsum *in hóc est.*[42])

Post hunc Phormionis versum haud inepte ei loci in medium procedent, ubi totum enuntiatum efficitur binis pronominibus et copula „*est*“.

Phorm. 178 (I, 3, 26):

Is est ípsus: *ei, timeó miser.*

ib. 738 (V, 1, 11):

Quód si eum nunc reperire possim níhil est quod vereár ‖

East ipsa.

Laudato Phormionis versu 178 (I, 3, 26) iam Bentl. contra libros scriptos alio quodam Terentii loco pronomen „*is*“ addidit ante „*ipse*“:

Ad. 538 (IV, 1, 22):

---

40) IPSUMMETUO A, ID add. A¹ (ID supra lineam); „*id*“ om. G¹; „*ipsum id*“ rell. ll.

41) ad codicum fidem in edd. legitur „**Ipsum hunc** e. q. s.“

42) edd. cum. ll. „**Ipsum istuc** *mi in hoc est.*“

Pater ést? || **Is ipsust** || *Sýre quid agimus?* || *Fúge modo intro, ego vídero.*

Sic nunc versus legitur apud Fleckeisenum (Bentl. scripsit „**Is ipsus**", Umpf. „**Is ipsest**"); in ll. haec exstant: „*Pater adest*" BCD²EFP („*est*" D¹G cum A) IPSEST A; „*ipsus est*" DG; „*ipsus*" (om. „*est*") BCEFP.

His expositis luce clarius apparebit de Andriae versu 945 (V, 4, 42) nullo pacto assentiri nos posse Umpfenbachio hunc septen. troch. suadenti:

Heús Chremes quod quaéris, Pasibúlast || **Ipsa eást** || *East.*[43])

Ceteri vv. dd.[44]), sive Calliopii recensionem[45]) sive codicem Bembini secuti sunt, rectissime hunc versum octon. iamb. esse sibi persuaserunt, quoniam et praecedunt et subsequuntur versus eiusdem generis. Mihi ex omnibus quae prolatae sunt scripturis maxime arridet Fleckeiseni:[46])

Non pátiar. heus, Chremés, quod quaeris, Pásiphilast. || *Ipsást* || *East.*

Ritschelius quoque (opusc. III p. 326) concedit haud improbabiliter Fleckeisenum traditum „*Pasibulast*" mutasse in „*Pasiphilast*", sed quoniam voculae „*heus*" minus aptum locum esse huic videtur, ipse sic potius versum legi vult:

Non pátiar. em Chremés quod quaeris Pásibula || *Ipsást* || *East.*

Restat, ut pauca de uno Terentiano exemplo addam, in quo sollemnem pronominum collocationem violatam deprehendimus:

---

43) in ll. non nisi semel „*east*" exstat.

44) alias aliorum criticorum coniecturas v. ap. Luchsium (Stud. stud. p. 63 sq.), eundem v. d. quo refelleret Umpfenbachii sententiam non fugit „*ea ipsast*" potius quam „*ipsa east*" esse Terentianum. Luchsius ipse quem versum proposuit, hunc amplexus est Meissnerus:

Heus Chréme, quod quaeris Pásibulast. || *Pásibula ipsást* || *East.*

45) omnes excepto Bembino ll. incipiunt versum a verbis „*Non patiar*", quae desunt in A.

46) consentio hac de re cum Klotzio in Andriae editione et cum Conr. l. l. pp. 5 et 85.

Phorm. 227 (I, 4, 49 sq.):

Memini ‖, *'Em*, *nunc* **ipsast** *ópus* **ea**, *aut siquíd potest*
Melioreet callidióre.

Haec vulgo leguntur in edd. postquam Faernus adnotavit „Post *τὸ* opus liber Bembinus[47]) habet dictionem „*ea*" ut sit „*ipsa ea*", ita enim melius senarius procedit."

Recta sunt haec Faerni verba, sed secundum tot exempla, in quibus pronomen „*ipse*" post aliud pronomen a poeta poni supra vidimus, voculam „*ea*" alio loco atque in A et in Donati lemmate invenitur in rell. ll. intercidisse puto idque post interiectionem „*em*", quam non minus raro pronominibus demonstrativis quam particulae „*nunc*" anteire pernotum est.[48]) Itaque sic rescribere Phormionis locum non dubito:

Memini ‖ *'Em* **ea** *nunc* **ipsást** *opus aut siquíd potest*
Melióre et callidióre.

Neque aut in hiatu, qui saepissime in eiusmodi interiectionibus admittitur aut in proceleusmatico „*Měmĭnĭ ĕm ĕa*" quemquam offensurum puto. Nam certe in thesi nullo pacto latere posse particulam demonstrativam „*em*" rectissime videtur Ritschelius (opusc. II p. 700 sqq.) monuisse.

---

47) ĖȦ A, expungebat corr. rec.; „*ea*" omm. BCDEFGP; cum prima Bembini manu consentit Don. in lemm.

48) cf. Ribb. Lat. Part. p. 29 sqq. et Brixii notam ad Pl. Trin. 3.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

pag. 10 vers. 20 sq.: pro *fugitivum argentum támen.* lege *fúgitivum argentúm tamen.*
„ 20 „ 22: pro *Praepsoitam* lege *Praepositam*
„ 24 „ 4: post particulam adde transeamus
„ 27 „ 7: pro 35 sqq. (I, 1, 8 sqq.): lege 35 sq. (I, 1, 8 sq.):
„ 28 „ 30: pro *reffellendo* lege *refellendo.*
„ 32 „ 20: pro locus, lege locus:
„ 34 „ 11: pro multo lege multa
„ 40 „ 6: pro mutemus. lege mutemus:
„ 44 „ 13: post sensus adde neque
„ 45 „ 37: pro eliciter lege feliciter.
„ 47 „ 36: pro dostulo lege postulo
„ 52 „ 12: pro hoc signo lege hoc signo †
„ 59 „ 11: pro *corrigemus* lege *corrigémus*
„ 62 „ 25: pro (II, 2, 15): lege (III, 2, 15)
„ 66 „ 3: pro *Melioreet* lege *Meliorè et*

